









MOUNT HOPE CLASSICS
VOL. II.

MONS SPES

ET NOVELLÆ ALIÆ

Ex Anglica narratione variorum auctorum
Latine interpretatus est
ARCADIVS AVELLANVS

Prostat apud
E. PARMALEE PRENTICE,
37 WALL STREET,
NEW YORK CITY, N. Y.

LATIN PRESS PRINTING CO., 336 W. GIRARD AVE., PHILADELPHIA, PA.

FOR PERMISSION to publish the Latin version of Mr. Robert Louis Stevenson's story "The Sire de Malétroit's Door," I take pleasure in expressing my thanks to Messrs. Charles Scribner's Sons.

E. Parmalee Prentice.

37 Wall Street,
New York City, N. Y.

INTRODUCTION.



TO PREPARE for college in Latin, commonly means by a four or five years' study of rules and forms to work through an amount of Latin text about equivalent to a hundred pages of Harper's Monthly. The subject thus pursued is not very alluring. Even pupils who can recite rules distinguishing between the use of *cum* with the subjunctive to describe the time of the main verb by its circumstances and the use of *cum* with the indicative to define the time by denoting a coexistent state of things, will too often find the distinction losing somewhat of such vividness as it may have had, when told that *cum* regularly takes the indicative if the principal action is expressed in the form of a temporal clause. So with other rules. They are not hard in themselves, but their multiplicity and variety as they grow in num-

ber during a course of several years, and their abstract statement, make the study something like a problem in chess. The results of all this instruction, so far as knowledge of Latin is concerned, we can perhaps understand if we try to imagine what would be the English achievements of a French or German boy who in lessons of five hours or so a week during parts of four or five years had worked out the grammatical constructions of some short English book. To many persons the whole scheme seems wrong, and the results accomplished seem an inadequate return for the outlay of time and labour.

Those who so think, believe that the remedy is easy. Latin is taught as no modern language is taught — one might almost say as no language is taught, for by the method followed the ancient languages have become mnemonic tasks and grammatical problems, the literature being lost in a species of anagram whose significance is slowly determined by prescribed formulas. The remedy would be to teach Latin as a language. By this it is not meant that anything should be subtracted from the course of instruction now given. Rules and forms must be learned, and it is no disadvantage that in so doing the student learns also to concentrate his attention and to work upon a given task. It is, however, a disadvantage with little reading, to dwell upon logical niceties and

abstract statements, when familiar use would illuminate the whole field. Therein is the secret of language learning — familiar use. There is no other way, and Latin is no exception to the rule. This, moreover, is the easy way, the method by which in the same time and with no greater efforts much greater results can be achieved. Suppose, for example, the element of pleasure were introduced into the study, and texts were given to the pupil which he could read out of class, easily and with enjoyment, — stories or novels, such as are given to beginners in any modern language, — would not the process of learning rules, forms and uses of words be simplified at every point? Suppose that by a little practice of this sort, without using the dictionary, and without stopping over difficult passages, a student could learn to follow the action of stories, told in Latin, such as would appeal to the interest of the young and could be read for a double enjoyment — the enjoyment of the story and of unexpected success — and suppose that by much reading in this way Latin could be so far learned that the lessons in class would deal with forms and constructions already somewhat familiar, — would it not be possible thus to substitute a certain degree of succes for the failure which now so often marks Latin studies?

But it will be objected, that Roman literature

has no such stories as are needed for this method of instruction. This is true. Petronius and Apuleius come nearest to what would be needed, but on account of the subject-matter, of difficulties in the text and other objections they are not adapted to the purpose described. What is needed for the plan proposed is a modern translation of modern stories.

At this point of course we part company with all to whom Latin means the style of a few selected authors or nothing. None who would keep from students the so-called eighth book of Cæsar's Commentaries lest our modern beginners be corrupted by Hirtius' expressions, can be expected to approve of modern translations.

On the other hand, all who would be willing, were it possible, to spend a month in ancient Rome — as a modern student of French would go to France — there to learn by the daily speech of all, whether ignorant or learned, even from strangers in Rome, to learn also from books and papers, of whatever literary value, the use of the language as a tool, these persons will be prepared to accept modern work judged only by the skill with which it has been done. To such persons, these stories translated into Latin by Dr. Arcadius Avellanus are offered.

The translations show a wonderful intimacy with the spirit of the Latin language and an admirable

grasp of its vocabulary, its synonyms and forms of expression. No doubt had these stories been published at Rome in classical times, the translator would have inclined to say with Apuleius, himself a foreign learner of the language —

> Et ecce præfamur veniam, si quid
> Exotici atque forensis sermonis rudis
> Locutor offendero.

To modern readers no apology is required. Such translations as those now presented could come only out of long familiarity with the Latin tradition and from wide and studious reading of Latin authors, and if in some constructions, forms or spellings a certain degree of indifference is manifested toward modifications which recent investigations would make in long-accepted texts, this unwillingness to change old ways is itself but one aspect of the long experience which has so admirably qualified the translator for the task he has assumed.

To many persons these matters will be of minor consequence. The important fact is that many of those who can read these stories will find after the first few pages that they are beginning to read with pleasure, and will discover that in this way a foundation can be laid for such a knowledge of the Latin

language as will enable them not merely to work through a classical text, but actually to read an oration of Cicero or a book of Cæsar with some knowledge of the writer's meaning and style.

This volume is privately printed, but while the edition holds out, copies may be purchased at the address given below. It is intended to print other stories in this manner, the number of copies depending upon the demand for the present volume.

E. Parmalee Prentice.

37 Wall Street,
New York City

INDEX

cum nominibus auctorum

MONS SPES

MONS SPES.

AVUM meum non novisse mihi semper dolori fuit. Habemus quidem effigiem eius, iam vitá ipsius ad finem vergente pictam, quæ vultum eius exhibet rasum, aspectum severiorem, ore tenacis propositi indice, fronte ampla, lineamentis fortitudinem referentibus — quæ quidem mihi vera eius imago videtur, siquidem litteræ scriptaque avi mei perinde imago sunt, nec ego vultum, quem effigies exhibet indignum eo viro iudico, quem sua scripta produnt. Ipse quidem filius sacrorum ministri fuit, sed iam ab adolescentia studio negotii navicularii ducebatur, ex cuius exercitatione subsidia vitæ satis fructuosa comparavit. Ego tamen suspicor eum sibi persuasum habuisse se ex vita mercatoria haud eas animi delitias carpsisse quas cursum vitæ sibi laturum speraverat, quandoquidem haud facilem planumque videbatur filiis viam sternere, qua hi sua vestigia ingrederentur, quin potius nutu ac suggestu animos

eorum ad amplectendas professiones quaslibet flectere nitebatur. Nihil sibi iucundius visum esset quam si filii professionem sui patris secuti essent, seseque sacrorum ministerio addixissent; et quotiescunque recolo mecum summam illius in hos auctoritatem, magnopere miror cur hi id non fecerint. Uterque filius collegium frequentavit, ac per annos quatuor, ratione illorum temporum vitam scholasticam duxit, quæ vix aliud quam sui ad sacrorum ministerium adaptatio videri poterat; neuter tamen collegio absoluto ita prodivit veluti cui theologia tantopere, quam scientiæ naturales cordi esset. Meus pater collegium anno millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo absolvit, frater autem eius maior natu biennio ante.

Sub idem fere tempus quo patruus meus collegium reliquit, iuvenis quidam vir e Scotia, Doctor Philippus Home, Colcestriæ, in Connecticut, ubi avus meus tum vivebat, sedes fixit, qui quidem eventus magnas pro nobis sequelas secum tulit, quod apud nos famam diffudit mirifici scientiæ medicæ in Scientiarum Universitate Edenburgica progressús, præsertim prælectionum Doctoris Vilhelmi Cullen, quæ relata animos duorum iuvenum desiderio Edenburgum proficiscendi, studioque medicinæ sub Doctore Cullen sese applicandi miro modo succenderunt.

Huic honorificæ ambitioni iuvenum avus meus facile adstipulabatur. Pro iis temporibus avus meus

satis peregrinatus erat, nec fuit Angliæ ignarus, iam et Edenburgum viserat. Consilium non temere captum est — ad rem deliberandam satis otii suppetebat — nihilo tamen secius exitus rei fuit patrui mei anno post absolutum collegium Edenburgum profectio, quem et pater meus anno proximo secutus est, proinde Neo Eboraco solvit mense Iulio anni millesimi septingentesimi duodesexagesimi.

Hoc tempore factum est ut avus ad patrem meum litteras daret consilia ei impertiens, quæ litteræ in nostra familia hodiedum magna pollent auctoritate, quæque indolem incolarum Novæ Angliæ luculenter produnt, et ut eædem a seris posteris in pretio habeantur iure merentur. Quam vim, ex mente avi, monita in formanda sui filii indole exercere valuerint, iam scire nequimus: sed quo zelo, quantoque animi diligentis affectu monita impertire conatus sit, quæ vel iuventutis temeritatem regere ac moderari possent, e solemnitate gravitateque sententiarum suarum fit manifesta.

Colcestriæ, 7° Iulii, 1758.

Gardiner,

Dilecte mi Fili!

In eo iam res est ut tecta paterna etiam tuam patriam, gratiá exterorum, peregrinæque terræ, primum relicturus sis. Perpende, velim, prærogativas quibus frueris ordinarias haud esse,

quin magna sui abnegatione tuorum esse præstinatas, nec proinde dimidia emolumenta aut manca, partialiaque melioramenta abs te vicissim exspectari. Tu, fraterque tuus, peregri haud exiguo sumptu sustinendi alendique estis, et hos sumptus dispendio pecuniæ non hereditariæ sed meritæ tolerandos esse.

Sumptibus his, quoad iidem necessarii ad tua studia provehenda, quin et æqua tua oblectamenta, videantur, libentissime occurretur; verumtamen quum intellectûs morumque emendatio atque augmentum non sint commoditates, utpote quæ arduo tantum labore comparentur, reperies has in obversa ratione esse cum ipsis sumptibus.

Rerum status circum te prorsus novus erit: tum incentiva ad otiandum et licentiam, tum etiam ad te scientiis, moribus ac virtutibus augendum et amplificandum. Arenam liber ac solutus ingrederis; prohinc fructus quos relaturus es testimonium tuæ fortitudinis ac virtutis animi, conscientiæ atque iudicii tui perhibebunt. Haud paucis sensuum illecebris obiicieris. Illa ipsa instituta, quæ plus quam quidquam aliud tuam patriam commendarunt, ex magna parte negligi, quin et derideri atque condemnari experieris. Quum continentem Europæ viseris comperies Diem Domini potius lautitiis agi quam Eius servitiis sacrari, qui horas diei illius Suas esse appellat. Multa reperies talia iniqua quæ ex iisdem fontibus manant, quamvis nominibus novis donata. At fili mi, noli errare: Deus non irridetur, quæ enim seminaveris hæc et metes. Leges Eius nemo impunis violat. Omniscius et omnipræsens Deus Ipse est, fuit Ipse Deus patrum

tuorum per generationes ultra quas nulla hominum memoria in contrarium se protendit. Ille Ipse Deus est qui fuit heri, qui est hodie, qui futurus est in sæcula, nec sine Eius provida cura vivere potes. Implora igitur hanc ab Eo, et impetratam humiliter agnoscas. Ab Eo hanc implorare viro indignum prorsus nunquam erit, usquedum indignum fuerit Eius favorem accipere.

Profana ac vulgaria haud raro audies — ubi enim non audis? Testis eris ebrietatum, videbis aleatores, at, mi fili, cave ne in suas vias incideris. Pedes talium in mortem descendunt, atque gressus ad inferos penetrant. Quum peccatores te lactaverint, ne acquiescas eis, sed audi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ.

Persuadere tibi conabuntur hæc ordinaria esse vitæ oblectamenta, moresque societatis politæ. Num vero hi melius sapiunt, aut vero minus quam tui parentes sua quærunt? Num ex tua re fore arbitraris pretio fiduciæ parentum consilia eorum amplecti, an et illi te recipient in æterna tabernacula? Mihi crede, semitæ longo usu tritæ, solæ sunt tutæ atque tales, in quibus solis requiem animæ tuæ invenies.

Sermone, obsecro, profano et impuro uti noli, atque etiam societatem eo utentium vitare memento, nam ingenuum perinde atque Christianum nemo se sine cordis puritate atque mansuetudine præstiterit, nec prohinc tibi quisquam venerabilis videri debet qui neutra se præditum ipse fateatur.

Nec fraudem, nec ullam speciosam causam tibi prætexeris. Hæc enim non modo iniqua verum etiam

turpia ac spernenda sunt. Quin enitere ut in omnibus quæ dicas te candidum, veracem, ingenuum et apertum, atque in omnibus quæ feceris simplicem te præstes. Simplicitas morum est diadema, si probitati propositi innitatur, certaque felicitas successus vitæ atque honor.

E sociis itineris aliisque eos tantum inter notos amicosque annumerabis quos iudicium mensque tua recti conscia commendaverint; affabilem cunctis te præstabis, at in seligendis amicis esto parcus. Haud parum emolumenti e nexu sociali derivari solet, nec commercium bonorum posthabere cuiquam saluti esse potest.

Unus vestrum, sive tu, sive frater, litteras domum quaque septimana reddet. Nos, vicissim, singulis litteris vobis respondebimus. Litteræ sive ad te, sive ad eum inscribentur, ambos enim vos respicient, hinc alterutri licebit eas aperire, iisque respondere. In nostra familia arcana nulla habemus, nec habere volumus.

Observatio totius vitæ, iam haud breviusculæ, parentum tuorum sententiam confirmavit felicitatem a vita utiliter occupata nunquam esse seiunctam, neque honestatem atque industriam, si integritati morum atque parsimoniæ innitantur, separabiles esse. Verosimile existimes, Deo propitio, sat commodum te heredium subiturum, perinde atque indolem principiis modo memoratis insistentem. Hic ipse status multa abs te exiget, ut a tuis exigebat parentibus — da operam nequid tuæ fidei commissum detrimentum acceperit.

Ex nostra parte præsentibus Harwood sumptibus sustinendis nihil obstat, atque cursum quem ipse sequebatur uterque vestrum prosequi poterit, dummodo vos otii opportunitatisque vestræ solertissimum capturi sitis usum. Exhibebis has litteras fratri Harwood, ut eæ et ipsi et tibi documento sint, et ambo scietis amoris, spei precumque nostrarum vos æquam partem sortiri, ut ubicunque sitis, sub umbra commoremini Omnipotentis.

Tuus, dilecte mi fili,

sum cum omni affectione paterna,

Gardiner H. Hardee."

Patruus meus Edenburgi tres annos impendit, gradumque doctoratus e medicina meruit, quo impetrato Colcestriæ consedit, uxorem duxit, ibique in avitis sedibus post mortem avi mei atque aviæ permansit.

Pater meus studia sua anno millesimo septingentesimo sexagesimo primo tanta laude absolvit ut munus instructoris in Universitate Scientiarum ei delatum esset, quod et accepit, eo, ut mihi verosimile paret, haud parum cordis affectu adductus, — qua quidem in re quia litteræ paternæ nullam ei viam ostenderant, relictus est temeritati iuventutis duci — annoque secuto uxorem duxit. Ego quarto Februarii anni millesimi septingentesimi sexagesimi

quarti natus sum, nomenque patris — Gardiner Hardee — sortitus sum.

Patri meo nunquam fuit in animo vitam totam peregri degere, quod ipse non modo natus in America verum, fere dixerim, naturá et genere, Yankee erat. Attamen Fortunæ obsides dederat; sua enim cum omnibus Scientiarum Universitatis Edenburgicæ sociis coniunctio genialis erat, ipsa autem schola medica optimis in Europa annumerabatur scholis. Sic itaque rerum cursus vergebat, nec ipse de remigrando in Americam secum consilia volvebat, donec querelæ inter colonias matremque ingravescerent, quæstioque fidelitatis atque officii civium in medium prolata esset. Interea temporis patruus meus Colcestriæ satis firmas sedes fixerat, pater vero consultissimum putabat alicubi inter communitates novas, quæ iam passim prosperare cœperant, sedes figere.

Hoc itaque consilio in Americam remigraturus, vere anni millesimi septingentesimi septuagesimi quinti solvit, pollicitus se primum quam nos commodo tecto excipere posset, me matremque accersurum. Sub eadem tempora haud pauci incolarum Connecticut quæstu novarum sedium ducti, in regiones, quæ modo Vermont appellantur, commigrare cœperunt, atque autumno anni, quo pater a nobis discesserat, nuntiavit nobis futurum ut Septemtriones versus migraret. Mox post per litteras nos docuit se locum reperisse

putare paullo ad Meridiem a Williamstown, in Comitatu Berkshire, in Civitate Massachusetts, suis sedibus idoneum, seque ad radicem Montis Ærumnæ, secundum viam ad Hancock, sive Iericho, ut tum vocabatur, a Meridiana Williamstown ducentem, præstinavisse. Sibi in animo esse aiebat ibidem sine mora domum commodam cum horreo ac stabulis condere, et ad uxorem prolemque excipiendas secuturo anno se paratum futurum.

Seiuncti ut tunc eramus, tempora ea tamen cunctis nobis perquam erant felicia. Litteræ patris spei atque fiduciæ plenæ erant. Williamstown, regioque in circuitu tota, colonis undique eo confluentibus frequens fieri cœpit, qui omnes ex optima Novæ Angliæ stirpe oriundi erant, unde haud modica erat exspectatio, quandoquidem in pago Williamstown schola publica gratuita erat condenda, unde pater autumabat lapsu temporis occasiones propitias orituras, e quibus haud parva commoda in accolas loci redundarent. Post aliquantum temporis pater nos per litteras certiores fecit se in ædificandis domo horreisque tantum profecisse ut et iam adiutorem sibi Abner Cutler uxoremque eius Saram Cutler mercede conduxisset, qui iam etiam in domum patris commigrassent, ut domum prædiumque patris administrarent.

Pulchritudinem loci circumque regionis pater in singulis suis litteris memoravit. "Est hic collis editus,

quem necessario video nec tamen transpicere queo," scripsit pater in quibusdam litteris suis, "qui mihi ceu quotidianus labor imminet. Non hic collis est qui primus lucem excipit matutinam, sed alius ad Aquilonem tumulus, in adversa ripa fluvii. Collis celsus obtegit solem dum tumulus eum opperitur, hinc tumulum Spem appello." Quid id innueret, ut mater, ego quoque intellexi, licet ipsa hoc nesciebat, sicque dehinc quoties ipsa litteras patris mihi prælegerat, hunc memorari ab eo exspectare consuevi. "Vitam dego Spem inter et Ærumnam," pater alias scripsit, "sed sic ædificare conor ut ærumnam in perpetuum pone omnes nos collocem, spes autem omni mane mihi ob oculos versetur. Iam id prope esse mihi videtur."

Difficultates interim colonias inter et matrem in dies magis invalescebant. Mense Ianuario anni millesimi septingentesimi septuagesimi sexti Nea Hannonia decretum sanxit, quod libertati vindicatæ æquipollebat. Mense Iulio secuto fœderatæ coloniæ exemplum secutæ sunt, quum pater per litteras matrem appellavit ut veníret, meque secum ferret, sed litteræ ad nos, nisi mense Augusto, non pervenerunt, quum mater in Franciam transfretavit, atque illinc, ex Havre, undevigesimo Septembris, navi Harvest Queen, oppidi New Bedford, Neo Eboracum versus solvimus.

Mater mea eo itinere absumpta est. Si in longos eos dies quos cum ea in stega exigere consuevi respi-

cio, ipsa mihi suum statum longe antea perspexisse videtur quam quisquam eam ægrotare suspicatus esset. Una eam sollicitudo tenebat, felicitas patris mei, et quí ego eidem prodesse possem. "Amor," ipsa me quondam monebat, "aquæ est similis — deorsum fluit, a parente ad prolem. Cupio ut Patrem qui in cœlo est, diligas, amor enim iste qui Eum assequitur, ad parentes, qui in terris sunt, assurget."

"Ego et tu," aiebat quodam die, "soli sumus pares qui novas sedes ita ædificemus ut spes quoque mane oculis patris obversetur. Pater cum animo loquitur, quia nostra eget opera. Existimasne te usque eo dum intelligas posse id meminisse?"

Quodam mane mater e lecto non surrexit. Medicus in navi nullus fuit; ego vero matri nulla ope nisi ab ipsa nacta prodesse poteram. Ipsa se parum curabat. "Patre tantum tuo," inquibat, "indigeo — ipse meus medicus est — nullo egeo alio." Vectores amicissimi fuerunt. Una præsertim, quædam hera Butler e Stockbridge, in curanda matre indefessa erat, mater autem, ex quo audiverat Stockbridge a montibus patris, viaque Hancock, non multum abesse, heram Butler continuo circa se habere cupiebat. Quæque in dies circa ægram evenerunt, optimo quem novi medico alias narravi. Cum eodem heram Butler adivi quippe quæ de ægritudine matris multo plura explicare valebat, quam puer intelligere posset, unde et beneficio

cognoscendi sententiam medici afficiebar, cognovisse, nullum nempe medicum plus ei prodesse potuisse quam cura atque nutricatio illi profuerunt. Hoc non exiguum mihi fuit beneficium, maius tamen existimo quod e verbis matris, paullo ante diem supremum percepi. "Fili mi," aiebat "amor non est instar aquæ, aqua enim sursumversum non fluit." Sic itaque mater mortem oppetivit, et in mari sepulta est.

Navis Harvest Queen aquas Americanas circa finem Octobris assecuta est, quum inibi a navarcho cuiusdam navigii, quem noster navarchus per signa allocutus erat, nova quædam gravioris momenti percepimus. Retulit is haud procul a Neo Eboraco acriter pugnatum fuisse, ubi et amplius pugnatum iri exspectabatur. Prohinc navarcho nostro satius videbatur portum Neo Londinensem petere, ubi itaque primo Novembris, anni millesimi septingentesimi septuagesimi sexti solus, puer duodenarius, primum littora Novi Orbis pedibus attrectavi.

Quid sine hera Butler de me factum esset, dicere nequeo. Ex universis enim vectoribus ipsa fuit sola quæ regionem peteret usquam vicinam ei loco quo ego tendebam, namque Stockbridge pagus in via est quæ me in Williamstown ducebat. Huius rei conscia sui muneris esse duxit tutelam mei suscipere. Mulierculam misellam! Et ipsa suis laborabat obicibus, nam Stockbridge Neo Londino iter durum trium fere se-

ptimanarum aberat. Vereor etiam ne meum captum consilium nihil quidquam e sarcinis matris deserendi eius molestias haud parum auxerit. Quod ad me attinuit animum meum una tantum affectio occupabat, ardens videndi patris desiderium, eique curam, qualiscunque ea fuerit, qua matrem in sua ægritudine prosequebar, narrandi. Si hac mea ætate affectiones meas iuventutis probe in memoriam revocare queo, gravatum tunc me sensi ineluctabili obligatione — acsi thesaurum infiniti pretii meæ fidei commissum gessissem, qui tamen nunc amissus esset. Ab eo sensu rationum reddendarum levari ac liberari nunquam exspectavi. Nulla potestas factam iacturam infectam reddere par erat; patris tamen sententiam super ratione me gerendi, meque probe egisse cupivi audire. Suffugio sui amoris frui cupiebam, non tamen iudicium amoris super cura a me matri præstita appetivi; nec ante sententiam sensús mei intimi, quod æquum existimandum esset, consistere valui, si ullam etiam rem, cui nexus aliquis cum eius memoria esset, pone me reliquissem.

Heram Butler mulierem cordis tenerrimarum affectionum fuisse oportebat, alioquin mentem puerilem, ut fecerat, haudquaquam perspicere potuisset; verumtamen quum meas affectiones consiliumque perspexisset, probavit, proinde sarcinæ matris, meæque res pusillæ Stockbridge pervehebantur, ac post

brevem moram illinc in pagum Williamstown perlatæ sunt.

Quodam postmeridiem, septimana ante Diem Supplicationum, qui eo anno undecimo Decembris celebrabatur, factum est ut a Lanesborough in Meridianam Williamstown transvecti essemus, quum in quadriviis de domo patris mei sciscitati sumus, tumque indicia secuti, in viam Hancock versus deflexímus. Patris domus e descriptionibus suis iam fere nota mihi erat simulac milliario ulterius eadem sub oculos meos cecidit. Ego et mater in animo iam illic habitavimus, peragrantes cubicula, exteriora, solaria, agros — — et ecce iam cuncta ante me palam stabant, utique non eo quo finxi modo, tamen ita ut commode agnovissem. Aurigam facile docui quo se verteret, et quo in loco riscos deponeret, dum ego intro currebam Saram rogatum ubi patrem offendere possem.

Quod patrem in solario adventum nostrum exspectantem non reperi, indubitato præsagio mihi erat certæ, sed inexploratæ, calamitatis. Quare eum illic me conspecturum existimaverim, aut quare sua absentia me sollicitudine perculerit — haud scio, fortasse mea eius videndi cupido sola in causa erat. Conspectum vultús eius exspectavi eiusque solatium, sed veritus sum primam eius quæstionem; itaque quum eum non vidissem, tractim domum ingressus sum, transivi vestibulum notissimum, illinc autem in culi-

nam. Ibi mulier intra ianuam stabat penuariæ, lancem de pegmate depromens. Audito meo gressu ipsa se convertit:

"Tune Sara es?" sciscitor ego.

"Sum, utique, ephebule," respondit ipsa, "quidquamne a me vis?"

Habitu tam domestico atque affabili erat, ut aspectum eius, meaque conscientia me domi meæ esse, in fletum erumpere me coegerunt.

"Volo, profecto," per lacrymas respondi, "patrem meum reperire — ubinam ipse est?"

Sara aliquantum anceps stabat, acsi non intelligeret, tum subito proclinata, ambobus brachiis me complexum deosculata est.

"Tu itaque Gardiner es," inquit, "et quam diu nos te exspectavimus!" Labore suo confestim intermisso, nec parum satagens, manus inter eundum præcinctorio detersit, meque ad ianuam deduxit, ubi risci in solario iam dispositi stabant.

"Verum," fatur Sara ut cumulum sarcinarum conspexit, "ubi est mater tua? Nonne in diætam non ascendit?"

"Nequaquam, Sara," respondi susurrans, "mater mortua est. Mortua ipsa est sex ab hinc septimanis. In navi id contigit; sed ego patrem opto videre."

"Pusio mi dilecte," inquit Sara, "pater vero tuus

ad navim conveniendam Neo Eboracum est profectus, nec tu eum convenisti ?"

"Minime, Sara, nos enim Neo Eboracum non attigimus, sed Neo Londoni egressi sumus."

Et hic fuit meus domi meæ adventus. Paullo ante horam sextam Abner de agris, finito opere arandi, domum venit, moxque cum eo atque Sara in culina cœnavi.

Inter cœnandum paulatim animadverti tum Abner, tum Saram de salute patris haud parum sollicitari, præsertim nunc ubi intellexerunt navim nostram iam ante mensem appulisse. Ad pagum White Plains postremis diebus Octobris acre prœlium commissum erat, unde rerum status circa Neo Eboracum admodum fuit turbatus, nec a patre, ex quo prædium reliquerat, ullum nuntium perceptum est.

"Ipse profecto non scribet," fatur Abner, animum meum sedare conatus, "quum sciat, etiamsi litteras scriberet, eas nullo pacto expediri posse. Alter alterum in utroque fine cursús exspectamus, quod quidem indubitatum dixeris exemplum exspectationis alicuius rei quam cernere non possis, cernendique quod nequeas exspectare. Tamen debemus, utut sit — velut illa anus quæ moriendo acquievit — nec est cur dubites patrem tuum salvum esse."

Solatio itaque aliquantum acquiescens cubitum ivi. Docui Saram quod cubiculum esset meum, quod

matris, nec sine gaudio comperi riscos matris, ut par erat, in suum cubiculum esse collocatos, post quæ meum cubiculum, matris cubiculo contiguum, intravi.

Octava iam erat hora matutina postero die quum evigilavi, et tum maxima quam poteram quiete patris cubiculum petivi collem celsum ut viderem, quem, ut scripserat, aspicere potuit, non tamen transpicere, atque ut specularer utrum mihi se ostentaret spes aliqua pusilla lucem solis longinqua captans. Illic profecto erant — ambo venusti colles — et ut e fenestra in collem celsiorem prospectabam intelligere cœpi non adeo diei labores esse, quam potius angores qui transpici nequirent; proinde, postquam me induissem, et in pedeplanum descendissem, quæsivi e Sara qui potissimus labor a me suscipiendus esset.

"Iam sane tu virum te præbes germanum, præclarumque Yankee," Sara probans respondebat, dein consilium solans subiunxit: "Opera egemus ad augenda melioramenta, quæ quum pater advenisset cerni possent."

Sic itaque contigit ut ego ad labores me accingerem. Pedetentim moribus prædialibus assuefactus sum, uti cibandorum iumentorum, quemadmodum equi nostri loris indui solerent, quique tractari, surrexi cum Abner prima luce, opusculis operam dare consuevi, antequam magis arduos diei labores aggressi essemus. Hæc omnia primum perquam dura erant,

sed quum hyems exacta esset absque nuntio a patre, quoddam levamen animi ab ea cogitatione gratus accepi, quæ simul maxima mea erat spes, pariter atque sollicitudo ingravescens.

Ineunte vere labores mei duriores fiebant, quandoquidem dies solidos in agris exegi, alias, dum Abner arabat, ego equos agendo, alias sursum-deorsumque per agrum occam insequens vadendo, alias denique toto die genibus insistens areolas horti runcavi.

His temporibus maximæ oblectationi mihi fuit cura gregis ovium mihi commissarum, quas plerumque in pascuo, prope ad fontes in occiduo declivi maioris collis, qui a nobis Mons Australis nominabatur, continui. Oves bis in die furfure aut avenâ, paucillo mais intermixto cibare solebam, easque vesperi, securitatis causa, in ovile reducere; quando autem labores in prædio nimis onerosi exstiterunt, aut vero mea sollicitudo nimis me obruebat, iuvabat in declive placidum eius collis, ubi oves pascere consuevi, transire, ibique continuo variantes ac mutantes in montibus umbras observare.

Eo in loco sera quadam pomeridiana hora contigit ut Indum Americanum conspicerem, nec parum sum exterritus. In pedes haud cunctanter me coniecissem nisi ipse inter me callemque ad viam ducentem stetisset, quod loca aperta derelinquere metuebam; nam in phantasia mea sylvas subito barbaris

scatere mihi finxi. At Indus formidinem meam confestim sopivit, non enim me curare videbatur, et, quoniam evadere haud poteram, præsentiæ eius mox assuefactus, curiosus exspectavi quid acturus esset.

Ipse prorsus otiosus esse parebat. Habebat quidem sclopetum sed certe non venabatur, quin sine notabili proposito in agro vagabatur, donec tandem cultrum exprompsisset, abscissoque largiori cortice betulæ, prope me in gramine consedit, pusillamque nauculam effingere cœpit — prima naucula e betulæ cortice quæ mihi sub oculos ceciderat. Tanta admiratione illius nauculæ capiebar, ut vel ultimum metús vestigium ex animo meo deletum sentirem, proinde ad eum accessi, ac loco substiti, unde omnes manús eius motus speculari possem, ac denique prope eum in gramine desedi. Ipse post aliquod tempus subito surrexit et in sylvam recessit, prope finita naucula mihi donata. Hoc mense Iunio contigit, ego tamen pro reliqua æstate pascuum illud frequentavi. Indum subinde conveni, qui nonnunquam ludimenta pro me fecit, aliquo autem die epigros[1] pro subucula e silice ful-

1. *Epigri, -orum,* vocabulum Romanum, sunt claviculi e quacumque materia, hic e lapillis siliceis. *Subúcula, -æ,* est vestis lintea alba, interior, quæ corpus superius tegit, quæque sæpissime lavari solet. Subucula, a fronte aperta est, et in collo, in pectore atque in carpis ope epigrorum sive ex argento, sive ex auro contineri solet, epigri autem pectorales aliquando adamantibus fulgent. Licet hos *epigros subuculares* moderna Latinitate appellare.

gido, quodam in fonte invento — quem ipse Fontem Muscosum vocavit — sed conventiculi nostri eodem exitu quo primus semper terminabantur. Ludi semper subito cessaverunt, ludimenta quæ parabat semper mihi donabantur, Indus vero semper in sylvam evanuit.

Hæc eo anno quo ad Bennington pugnatum est evenerunt.

Cuncta ista quinquaginta annis ab hinc gesta sunt, ego tamen diem eventaque eorum temporum tam clare memini quam lumen solare tam lucidum, ut ab ortu in vallem nostram collibus superatis diffundebatur, perinde atque umbras tam opacas, ut eædem per declivitates collium occiduorum tam mature pone prædium nostrum descendere solebant. Mirum tamen dictu est pugnam eam ex mea parte in lumine solari, non in umbris locum tenere. Namque ipsa mihi non vultum obvertit grandis illius Terroris, quem cæteris me adultioribus exhibuit, quin etiam quodammodo iuncta etiam erat cum ea magna Spe, quæ iuventutis tam sæpe e tribulationibus redemptrix esse solet.

Nunc mihi cuncta hæc recolenti ita parent acsi descensus Burgoyne secundum Lacum Champlain annos duravisset — quod me seniores tantum de eo eventu narrare audivi. Idem revera non diu duravit, sed vita fuit aspera, diesque lente fluxerunt, mihique hostes vix quidquam difficilius secum ferre videban-

tur quam asperitatem vitæ meæ inter ignotos et peregrinos, atque molestum opus insueti laboris. Ac, denique, cuncta hæc subito ad finem venerunt.

Quodam die vehem avenæ ex agris domum vectabam, dum Abner antecessit, quum Saram conspexi illi obviam venientem. Prope horreum stantes colloquebantur, et ut ego appropinquabam, Abner quieto suo more se ad me convertit, atque, "Puerule mi," fatur, me allocutus, "Hassii viam habent versus Bennington, qui quidem magis quam avenæ triturá egent — velis modo ephippium equæ imponere, amabo" — verba potius ad erigendam Saram, quam ex animi levitate prolata, quæ tamen me nihilo minus ad improvisum sensum sobrietatis, si non solemnitatis, concitarunt. Hunc in modum discessit Abner.

Ipse nunquam festinavit, nec se unquam propere movere videbatur, quidquid tamen egit, mora caruit. Ita et nunc. Vix enim iugum in stabulum deduxeram, equos deiunxeram et ephippium equæ applicueram, quum Abner e domo adfuit cum sclopeto in manu ad iter paratus, equamque statim conscendit et abequitavit, dum ego et Sara in porta sepium stantes eum oculis prosequebamur, usquedum se visui nostro subduxisset.

Iuvenis ut eram intellexi quæ cogitata Sara secum versaret, et licet de modo tantum cogitabam quo et ego discedere eosque sequi possem, qui, ut Abner,

ex omni regione circa nos iam in itinere Bennington versus erant, silentium tamen ego rumpere nolui, nec loco moveri, donec Sara se vertisset.

Eodem loco quo tunc stetimus, in porta, dum Abner eos orientales colles versus sole illustres abequitabat, dum umbræ in agris pone nos sensim opacabantur factum est, ut hæc vitæ meæ phasis finem acciperet. Pugna ea haud paucos propria umbra obtexit, quæ umbra complures casas in gremio collium obumbravit, et fortunas gentium affecit, mea tamen semita solem versus vergebat.

"Euge, ephebe mi," fatur Sara denique, domum versus conversa, "Abner muneri suo satisfaciet, nos quoque nostro. Nonne putas iam tempus ad oves reducendas advenisse?"

Occasio Abner sequendi, tum dumtaxat, mihi non admodum videbatur propitia, putoque gressus meos quum viam transibam fontes sub radicibus Montis Australis petens, aliquantum tardavisse. Pinetum eo prorsus loco attigi ubi via tanta declivitate descendit ad transcendendum rivulum Hancock, quum aliquid medio arborum paullo superius in adversa ripa moveri animadverti. Motus ille celerrimus fuit, et antequam contuitus essem, iam evanuit, statim tamen intellexi Indum id fuisse. Dehinc pedes mei non tardarunt. Rivulum nullo labore transivi, arduam et dissitiorem ripam adversam celeriter ascendi, ac per pa-

scuum longum in sylvam circa fontes perveni. Eo potitus loco lentius itavi oves compellans ut pascuum ovile pertransibam, et prætergressus fraxinum, viam Fontem Bullientem versus secutus sum. Locus is amœnissimus est, unde prospectus iucundus patet in longa collium occidentalium iuga, dissitusque visus inter montes adversum Aquilonem prorsus usque ad Montem Antonium. Illic, ut exspectavi, prope ad oram sylvæ, solito suo loco, sedebat Indus. Me appropinquante minime se movit, nec mihi salutanti respondit, morem tamen suum minime hostilem iudicavi, prohinc prope eum in gramine consedi. Hic quasi aditum ad futuras opportunitates mihi patere arbitrabar. E suis necopinatis huc et illuc peregrinationibus iste mihi iam pridem speculator esse videbatur — sed ex utra parte belligerantium, divinare nequibam. Quod pridie luctæ advenisset, me in ea suspitione confirmavit, modus autem suus tranquille sedendi, oculosque suos in amplo prospectu pascendi, eum fortasse signum opperiri videbatur suadere. Impatiens moræ, desiderio ardebam aliquid dicendi, sed quid nesciebam, proin exspectavi dum Indus silentium rumperet:

"Multi bellatores," inquit, "eunt pugnatum."

"Sane, plurimi," respondi. "Tum hodie eunt, tum heri undique ex his viciniis, item ex pagis Pittsfield, Cestria, atque Ashford iverunt. Haud pauci e Lebanon atque Hancock domum nostram prætereuntes

constiterunt, nosque allocuti sunt. Viri hi in pago Williamstown congregantur, illinc autem Bennington progredientur."

Indus hæc omnia tenere videbatur nec verbum proferens, quod post paululum temporis capite tantum annuit. Deinde, ut ego suspicabar, fidem meam tentaturus fatus est:

"Puer albus non est bellator. Pugnare non valet."

"Quin pugnare valeo," respondi ei, "habeo sclopetum, item iaculari scio, ire tamen vetor."

Indus iterum annuit, sed verbum non protulit, tamque diu siluit ut vererer ne amplius non loqueretur. Tamen denique fatur:

"Puer albus par esset litteras bellatoribus tradere domumque reverti. Puer enim albus impar pugnando est."

"Sic, sane," cito respondi, "revera litteras ad milites deferre valeo, — cede sis, protinus curram."

Oves interea e memoria mihi plane exciderunt, perinde ac munia quæ Sara mihi tantá fiduciá commendaverat. Præter viros in pago Williamstown aggregantes ac Bennington tendentes de nulla re cogitare quivi.

"Illæ itaque litteræ," repeto ego, "facdum eas mihi tradas."

Indus lente caput quassabat, interim tamen promit schedulam plicatam, eam evolvit, mihique tradit.

"Bellatores videre non possunt," inquit. "Puer albus observare debet et narrare."

Quid dicere voluerit, aut quare bellatores videre non potuerint, haudquaquam perspexi, sed litteras e manu eius cito exemi et legi:

"Præfecto Militiæ, Williamstown.

"A duobus Americanis, heri apud Iericho e Libanonicis Toriis captis nuntiatum accepimus futurum ut copiæ Anglicæ paullo ad occidentem a Bennington pedes figant, atque per Vallem Berolinensem copias Toriorum missuri sint, quæ Americanos sive circumveniant, sive vero, si expeditio Anglorum minus successerit, omnem apparatum militarem ad Bennington, antequam Americani ad eum tuendum eo reverti queant, flammis aboleant."

"Auctores huius nuntii viri nobis notissimi sunt — alter eorum præfectus maior est copiarum Nea Hannoniensium, alter autem e Comitatu Berkshire est, uterque erat captivus Neo Eboraci ex tempore prœlii ad White Plains, ac nuper tantum uterque evasit. Quod nuntiant fide dignum est quod vel eo etiam confirmatur, quia copiæ Toriorum modo apud Wyomanock conglobantur. Si hæ copiæ iter suum Septemtrionem versus per Vallem Berolinensem flexerint, per signum de Monte Ærumna hoc postmeridiem prodetur. Si vero iter ultra Berolinum prosecutæ fuerint, de monte, qui Mac's Pattin vocatur, paullo tardius altero signo nuntiabitur."

Antequam legendo finem feceram in pedes exsi-

lii. Res tota palam erat. Torii cohibendi erant, sed id nemo nisi viri qui hoc postmeridiem ex Williamstown profecturi erant, perficere poterat.

"Litteras ego deferam," inquam, "ego eos assequi valeo. Necdum enim procul progressi sunt."

Indus nihil se movit. "Puero albo exspectandum est," quiete monebat, "item prospiciendum ut narrare possit."

Illico intellexi. Signum ex Williamstown videri non potuit. Hoc enim ex Monte Ærumna dari debebat, nec usque dum id datum sit quidquam dici potuit. Quare iterum consedi in gramine, celsique collis verticem observabam, oculosque ad Septemtrionem, Montem Antonium versus circumferebam, ubi copiæ iam congregari cœperant, et quoversus iter suscipere adeo flagravi. Ibi mihi sedenti collis admodum dissitus videbatur; simul etiam in aere indicia adventantis tempestatis sese prodebant, quin et nox impendebat, quod sol deorsum vergens iam cacumina occiduorum collium attigerat, ut vero radii eius inter frondes arborum vertices collium tegentium percolabantur iam sub horizontem mersuri, miro fulgore scintillabant.

Denique etiam occubuerat, quum subito in summo vertice senis Ærumnæ emicuit fulgor talis qualem speculum, vel specula possent edere quum ad excipiendum ac reverberandum solis splendorem vertuntur

qui fulgor in eum locum ubi nos sedebamus erat collimatus. Lumen haud erat acre. Etiam dubito utrum quispiam non prope nos animadvertere potuisset; erat tamen indubitandus. Confestim in pedes consilui, Indumque aspexi. Ipse prorsus ita sedebat ut quum eum conveni, sed oculi in montem erant defixi. Mox alter successit fulgor . . .

"Visne curram?" quæro ego. "Visne curram?"

Nullum dedit responsum. Interim tertius emicuit fulgor.

"I," inquit. "Puero albo currendum est. Litteras debebit præfecto albo tradere."

Me ante finitam eius sententiam dilapsum esse existimo, procurrens rectá præter fraxinum, deorsum de colle semitam versus secundum rivulum per sylvam ducentem, quem rivulum exinde Indicum appellari apud nos usu venit, verum etiam eunti mihi sensus subrepsit, quin tamen rei conscius vultum retro vertissem, Indum non esse in sylvam reversum, sed brevi spatio me secutum, rectisque angulis versum, viam sursum Montem Australem Orientem versus ingressum. Sensus, quo Indum mihi invigilare putabam ita erat firmus ut pæne certitudinem æquaret. Tum primum mecum causam coniectare cœpi, quare litteras ipse in Williamstown non detulisset. Manifestum erat etenim eum hoc proposito venisse. Verosimile erat eum has litteras alicubi prope Lebanon aut Wy-

manock accepisse. Ea in regione plurimi erant Torii, et ut omnibus constabat, nulli in Williamstown. Quidnam causæ intercessit quare Indus litteras per loca periculosa pertulisset, spatium haud minus quindenûm milliariorum, tum mihi dedisset, quum in tuta regione, a meta sua vix quina milliaria abfuisset? Quæstio ista sua gravitate animo meo magis magisque insedere cœpit, meque per sylvas properantem plus et plus urgere. Factum causa haud caret, causá carere non potuit, causa insuper alia esse non potest, mecum cogitabam, quam quod regio non tuta est. Ille idem sensus me subito iterum incessit quo antea tenebar, nempe aliquem mihi invigilare, ac modo quidem non solum Indum verum et aliquos alios. Quum itaque traiectis sylvis ad extremos limites pratorum pervenissem, unde Meridianam Williamstown prope conspexissem, quasi instinctu adactus, ubi via se ad transcendendum rivulum Hancock ad Occasum versus deflectit, recessi, ibi transversum agros rectá pagum versus cursum direxi. Actus hic magis impulsus animi quam consilii erat, quod agri saxis, vacerris, deciduisque arborum truncis erant asperi, paludis autem omnino eram immemor donec eam transvadere cœpissem, non raro fere lumborum tenus mersus. Necesse videtur me, viam Pittsfield paullo infra Meridianam Williamstown appropinquantem, aspectum perquam concitatum ac profligatum præbuisse, et etiam

existimo me tunc demum primum gravitatem mei cœpti veram intelligere ac perspicere cœpisse, quum prope sepes duos viros me appropinquantem observantes et agros percurrentem, stantes animadverti.

Extraneos et ignotos eos esse statim perspexi. Eorum alter procerior erat, neuter barbatus, et alter tantum, e duobus humilior, gerebat sclopetum. Cursum itaque meum paululum ab eo loco ubi illi stabant ad Septemtrionem deflexi, ut supra illos in viam evergerem, sed illi e loco lento motu discesserunt, ita ut quum ego viam attigissem, hi illinc iuxta sepem stetissent. Ubi vero pedem, sepem transcensurus, in longurium posuissem, procerior eorum manum humero meo imposuit:

"Quidquamne te, puerule mi, perterruit?" amice me affatur.

Ego protinus ipsum me esse sensi. Antea enim quam quæstionem posuisset perterritus eram, sed nunc me nimis humaniter tractabat, quæstioque sua directo ad Indum mihi videbatur referre. Hinc perspectam difficultatem mihi imminere sensi, non ignotam rem me terrere, atque præsens rerum status ad sobrietatem me revocavit.

"Perterritus quidem non sum," respondi, "sed prœlium imminet, atque domum me conferre cupio."

Brevior eorum ridere cœpit. "Potius domi te sa-

tius erat manere," fatur ille, tum: "Quid moliebaris in sylva?"

"Oves mihi erant curandæ," retuli. "Quaque nocte ego oves occludo. Et nunc me domum ire oportet."

Manum suam alter de humero meo retraxit, quo facto nihil morabar sepem transcendere.

"In his vicinis sylvis Indi delitescunt," monuit ille brevior. "Vidistine quemdam Indum quum oves tuas occludebas?"

Ea quæstio verum rerum statum satis mihi explicuit, quin etiam plus explicuit. Etenim siquid dubii in animo meo de consiliis horum usque superfuisset, subito dissipatum est, et pariter dissipata est molesta incertitudo circa genuinam veritatem mei nuntii. Eo enim consilio hi circumerrabant ut nuntium, quod ego mecum gerebam, interciperent, proinde monitum dignum videri debebat quod interciperetur."

"Nemo in sylva procul videre potest," refero ego, "sed quum in pascuo versabar vidi aliquem procul in agris pone viam Hancock in angusta Berlin ducentem."

Hoc dicto in fugam me verti, sed ventus pileum mihi eripuit, et quum ad eum tollendum recurrissem, brevior ille me ad se vocavit.

"Euge, puerule," inquit, "tu nimium æstuas ac

properas. Indos tu minus curare videris, proin tutiorem te apud nos existimes, velim, quam ut isto tuo modo solus vageris — itaque velis modo huc redire, nobisque sociari!"

"Atqui rogo, mi Here," flagitabam, "opuscula obire necesse habeo. Iam utique sero est."

At nunc iam nugas misit. "Nostro in medio incedes," inquit breviter, "ac modo semel tentes te eripere, iam te quietabo."

Procerior ille strictim se vertit. "Iacobelle," affatur socium, "tu nimis facilem te præbes, non sic ego. Enimvero nos non puerum sectamur" — tum subiungit: "Interim, si eum capi necessarium putas, cape eum."

"Capiam profecto," respondit Iacobellus, "nec nos eius rei pœnitebit. Quid? Quid dæmonis instar post occasum ad opuscula facienda cursare! Adde quod si ita et ulterius cucurrisset, Williamstown pervenisset. Sic, Hercle, puerum, bona tua venia, Amos, detinebo."

Hi interea sermocinantes celeri gradu itabant, ita ut ego, æquum servaturus passum, subinde tolutim incederem. Quomodocunque tamen festinabamus, procerior ille, Amos, paululum nobis semper antecedebat, atque progressus admodum erat difficilis, quod non viam tenebamus, sed infra Meridianam Williamstown ad Orientem nos verteramus, rivulum Ashford traiecimus laboriosam aggressi viam sursum acclines

colles, et Aquilonem versus cum Oriente tendebamus. Haudquaquam me pœnitebat nos horsum tendere, quod quisque gressus nos propius Williamstown ferebat, et quod iter nostrum in conspectu Montis Kidder ducebat, quem iis temporibus Mac's Pattin vocitabamus, et quem ego signum secundum exspectans diligenter observabam. Postquam succisam sylvæ partem ad oram superiorem usque traieceramus, circiter milliarium sylvam penetravimus; sed quum caligo sylvam magis magisque obrueret, lentius progrediebamur, tamen ubi versaremur, et quo tenderent ipsi, utrique homini erat notum, nec multum temporis erat absumptum. Tandem in clarum egressi sumus, sub radicibus ipsius adeo Montis Spei, et agrum quemdam transire cœperamus qui ad Aquilonem leniter declinis erat, ubi ego iterum in pleno conspectu Montis Kidder, quin etiam totius iugi collium ad Occidentem, quorum verticem sese in occidentali cœlo clare describebant, versabar. Causa properandi hic subito cessare videbatur.

"Hem, Amos," fatur Iacobellus, "quid nunc?"

"Equidem, ut puto," respondit Amos, "nihil aliud nisi exspectandum. Fortasse ceperunt barbarum, fortasse non, sed venient, at nobis in summo colle, præter saxum exspectandum est."

Ager admodum asper erat ac silicosus; et quamvis nunc, mense Augusto, aridus, maiori tamen anni

parte manifestum erat palustrem esse, quod tumulis cespitum scatebat, inter quos, iam tenebrascente, nimium quantum cespitabamus. Quum denique oram saxeam summi collis attigimus, Amos sic fatur:

"Si tibi revera in animo est puellum a perficiendis opusculis suis cohibere, Iacobelle, me iudice, consultius feceris si eum ad illam arborem deligabis. Nam hic morari, eique invigilare nequimus, quin etiam ipse puer probus est, et opuscula sua revera perficere vult."

Ulmus exilior prope ad saxum stabat eius profecto crassitiei ut quum manus meæ pone me ei circumdarentur, vix paucis unciis inter se distarent. Iacobellus igitur manus meas istum in modum colligavit tam firmiter et satis arcte, ut mihi incommodo esset, etiamsi non doleret.

"Sic, sane, mi Amos, vera de eo puero memoras," fatur Iacobellus per sarcasmum, postquam opus consummatum est. "Probus ille puellus est, omnino probus, nam et se perquam libenter apud nos perseverarare velle ait, nec nos de se sollicitari oportere sibi invigilando, ac licere nobis pro amicis longe lateque pro arbitrio circumspectare."

Hic itaque duo, quum de me rite cautum esse sensissent, in agros descenderunt, ut siquis ex iis partibus unde nos veneramus, horsum appropinquasset, facile animadverterent, quin ego oculos suos fallerem.

Mei ego prorsus eram inops. Funiculus adhibitus erat brevis et tamen multo crassior quam ut ego carrumpere valerem, tamque arcte colligatus, ut carpum in laqueo ne vertere quidem par essem. Interea nihil nisi Montem Kidder observare poteram atque de copiis hostilibus per Vallem Berolinensem Septemtrionem versus iter facientibus cogitare, item de nostris copiis e Williamstown, quas rectá Aquiloniam Petropolim progredi oportebat, quæ tamen, si meum nuntium redditum non esset, periculi ignaræ per Pownal aut Aquiloniam Pownal, Septemtrionem versus Bennington proficiscerentur. Signum fortasse de Monte Kidder interea datum erat dum ego per sylvas ducebar, hoc tamen, quamvis de eo cogitans exterrerer, quum iterum perpendissem, probabile mihi non parebat.

Verosimile existimabam ut ii, qui tantum sapivissent, ut signum de Ærumna ederetur, fecissent ut signum maturrime quam fieri posset post Toriorum iter initum accenderetur. Proinde, ut ego ratiocinabar, signum edi debebat antequam Torii ad Aquiloniam Stephentown pervenissent.

Locus ille a Berolino sena, aut paullo plus, milliaria abest. Quantum ego coniectare poteram, locus ubi ego arbori deligatus eram a Fontibus Indicis trium milliariorum spatio seiungebatur ad summum, etiam brevissimá quam nos prosecuti sumus viá, et

mihi æque persuasum erat nec homines in Valle Berolinensi iter facientes nobis celeriores fuisse.

Interea et Amos et Iacobellus se sollicitari satis clare prodiderunt. Longius in agros digressi ut eos quos exspectare parebant specularentur, me, utpote quem satis in tuto esse intelligerent, minus ac minus sibi curæ esse existimaverunt. Paullo post loco ad me redeundi mihique invigilandi, me clamore, utrum in officio usque essem, tentaverunt. Primum tamen non respondi. Inde Iacobellus retro ad me cucurrit, et quum reperisset me eo quo reliquerat loco ac modo arbori alligatum et securum usque esse, sæve me percussit sic fatus:

"En, ephebe, habes nunc quo admonearis de tenera tui amicorum cura, ut alias vocatus ab illis scias tui eorum sollicitudine dignum reddere responsum." Post hæc vocatus diligenter respondi.

Quam diu ad arborem deligatus steterim, haud scio — dimidiam noctem ibi exegisse mihi videbar, revera tamen uná horá vix plus, quum subito fulgidior de vertice Montis Kidder flamma emicuit. Flamma e levioris generis fomento orta esse parebat, quia ut cito crevit ita et resedit. Amos Iacobellusque longiuscule in agris aberant. Uterque me inclamavit, ego autem continuo respondi. Eodem temporis momento funiculus pone me discissus est, et ut ego in fugam me dedi, Indum in arboreto secedere vidi.

Erat in summo colle arboretum acernum cum umbra spissa, fere tamen dumeti vacuum. Hoc arboretum persultavi donec ad declivitatem aquiloniam collis attigissem. Hic iam abietes fagique crebrescebant, dumique densiores fiebant, ita ut in tenebris plane nihil cernerem, nec cursum tenere nisi palpando quibam. Paullo ulterius, in loco ad cœlum aperto perveni, per quem via fruticetis mori nigræ erat impedita. Substiti paulisper deliberaturus quorsum me potius verterem, quum repente voces excepi hominum me persequentium, viamque sibi per dumetum non procul pone me aperire tentantium.

"Putasne eum hac profectum esse?" quærit Amos vix quinisdenis ab eo quo ego stabam loco pedibus, sed adverso latere luci abietum adolescentium.

"Hac necesse est eum profugisse," inquit Iacobellus. "Opuscula quæ facere volebat, hac, sursumversus esse oportebat. Quem Dii omnes . . ." mussabat dumetum moreti irruens.

Nihil morabar, sed quietissime quam poteram lævorsum me verti eaque qua veneram via parumper recessi, illinc autem rectá ad rivum. Collis hic loci admodum erat præceps, sed pro bona fortuna callem reperi labidum siliculis herbisque aridis, tamque arduus quam scala, verumtamen callis ad cœlum erat apertus, ita ut hic multo celerius quam in opacis sempervivis progredi possem. Semel planitiem nactus, iterum ad

Septemtrionem me verti rivum secutus usque ad superatas cataractas, ubi rivum traieci, rectaque Williamstown versus properavi, semitam per mediam planitiem fluvio contiguam, minime impeditam, ingressus. Hæc semita etiam maxime erat me persequentibus accommodata, ac profecto ambigebam utrum non me iam antevertissent. Cæteroquin fieri etiam poterat ut mihi a tergo essent, nec absimile vero putabam eos me usque in sylva quæritare, nisi ad verticem collis rediverint, ut quos exspectassent, illic convenirent. Utut res fuerit, quid mihi facto opus esset, rite intellexi. Eventus hi me tantopere demorati sunt ut dubitarem utrum, si etiam cuncta quæ pro viribus possem tentarem, copias assequi possem. Poterant eæ utique a Williamstown discessuræ detineri. Quin et eas usque illic agentes reperire poteram, sed iactura temporis nunc perniciei tam plena erat quam ipsa mei captura, proinde in semita perseveravi, cucurrique ut pedes me ferre poterant, deinde ad trahendum spiritum cursum tardavi, iterumque in cursum me concitavi.

Octo mensium in prædio acta vita facultates meas perquam exacuit. Bina in die cum ovibus itinera in pascuum, frequens collium per hyemem cum trahis lignatoribus ascensus, sursum deorsumque in agris deambulatio equos inter arandum occandumque per dies solidos sequendo, me parem currendo effecerunt, cui

cursui modo tantæ res innitebantur, interea tamen priusquam Indum convenissem, iam laboris unius diei æquum præstiti: calceos paludes pervadendo madefeci, Rivulum Ashford atque Fluvium Viridem pedibus pertransivi, et pedes mei modo iam pustulis horrere cœperunt. Si modo equum invenirem, cogitabam mecum, siquis obviam fieret qui mihi adiumento esse posset, fortasse necdum sero quidem venirem, verum ego ne subsistere quidem ad opem flagitandam ausus sum et quum denique Williamstown attigeram responsum mihi est copias iam ante horam abscessisse.

Dictum mihi est incolas pagi supplicatum convenisse, ut victoriam copiis divinitus largiendam efflagitarent. Rui in conventiculum. "Torii adventant," denuntiavi ego, "nuntiumque Præfecto militiæ Williamstown fero."

"At Præfectus militiæ hinc iam abscessit," responsum mihi est. "Iam per hoc tempus oportet milites Pownal pervenisse."

"Fortasse necdum sero est," instabam ego, "fortasse revertentur."

"Imo," fatur quidam senex, "nondum sero est. Iter etenim per Aquiloniam Pownal carpent. Ostende modo nuntium."

Litteras ei tradidi, quas ipse surgens, elata voce prælegit.

"Litteræ verum nuntiant," addidi ego. "Per totam viam cucurri, atque etiam signa de montibus rite edita sunt."

Res interim facundius pro me loquebantur quam ipse ego poteram. Cognitum etiam vulgo erat in Lebanon plurimos esse Torios, satisque cunctis constabat futurum ut si copiæ a Bennington decessissent, oppidum copiis hostium, quæ e regione Berolini venirent, prædæ militibus obiiceretur.

Nulli igitur dubitationi locus cedebatur. Equum itaque mihi comparaverunt, quo vectus iter Pownal versus sine mora laxatis frænis ingressus sum.

Nunc iam et urceatim pluere incepit, et densa caligo regionem obruere, ut summo tantum conatu iter discernere tenereque valerem. In vico quidem lumina fenestrarum viam mihi indicarunt; verum ubi relicto vico Collem Caurinum[1] scandere cœpissem, quamquam viam non facile discernebam, tamen arborum vertices observando adversum cœlum erectos, aut vero situm rerum passim fulguribus emicantibus collustratum, satis commode prosequebar. Nactus fastigium collis, via per milliarium circiter ac dimidium

1. *Caurus: -i*, est nomen venti, qui ex Occidente cum Septemtrione flat, hinc ea plaga cœli, sive regio, unde ille flat, etiam ita appellatur. Hic nomen loci est quo collem a pago Williamstown, sive Vilhelmopoli, ad Caurum est, Collem Caurinum vocant.

satis apta usus sum, unde aliquantum temporis lucrabar, sed ex parte Pownal via acclinis, labida atque caliginosa erat, ubi summa tantum cautelá proficere valui. A radice collis pars viæ iterum satis erat idonea secundum Fluvium Hoosac, ubi iterum licuit mihi frænis solutis progredi.

Verumtamen Pownal usque sero perveni — co - piæ dimidiá horá ante discesserunt, iter tamen Aquilonariam Pownal versus flexerunt, ut senex ille prædixerat, loco rectá Bennington proficiscendi. Denique copias ad Aquilonariam Pownal assecutus, nuntium Præfecto copiarum dedidi.

"Torii, mi Here," inquam, "adventant; ego vero litteras tibi tuli."

Ob meum serium agendi modum leniter in me renidens Præfectus litteras accepit, easque sago suo contra pluviam tuitus, dum unus militum lumen lanternæ advertebat, eas admodum lente legit.

"Euge, mi Gardiner!" affatur me Abner, ut lumen lanternæ in vultum meum incidit, "Ubinam has accepisti?"

"Ab Indo," respondi, "qui fontes sub Monte Australi frequentare solebat."

"Factum præstanter," probat Præfectus militum, "præclare fecisti. Nec quæstionibus te urgebo. Petropolim proficiscemur."


Tota ea nocte pluebat. Quum Aquilonariam Petropolim perveneramus præmissus est unus qui in rem inquireret, qui brevi reversus retulit nullas copias ea vespera pagum transivisse. Quapropter ingressi sumus viam Bennington versus, atque luminibus restinctis, trans viam atque ex uno latere eius aciem instruximus. Illic in caligine ac pluvia excubantes, hostes usque ad horam fere secundam matutinam exspectavimus.

Diu humi iacebamus silentes et absque luminibus, et, ut opinor, etiam sopore opprimebar, quandoquidem adventús hostium prorsus fui ignarus, donec tonantium armorum strepitu expergefactus conterritusque fuissem. Caput de solo erigere non audebam, nec circumspicere quidem ad videndum quid circa me gereretur, donec brevi post Torii se dedidissent.

Quum denique circumspexeram, complures conspexi humi iacentes, alios autem lanternis inter eos circumeuntes, qui partim saucios curabant, partim vero mortuos de via submoverunt. Caligo erat densissima; lanternæ parum luminis fundebant etiam intra ipsum angustius spatium quo lumen cadebat. Nihilo tamen secius lux mihi satis clarebat ad cernendum chirurgum, in hominem humi iacentem proclinatum. Manifestum erat alium chirurgum nullum interfuisse, quod undique eius opem eodem tempore expetiverunt. Oculos meos ab eo avertere haud poteram,

ac, postremo, quum amplius perdurare non possem, quiete ad eum accessi, genibus ad latus unius militum insistentem, unoque brachio eum amplexus sum.

"Euge, mi chare pater," alloquor eum, "tantopere gaudeo te reperisse, et quam te domi nostræ egeo.'



REX AVREI RIVI

REX AVREI RIVI

SIVE

FRATRES NIGRI

CAPUT I

Quemadmodum Herus Africus rationi Fratrum Nigrorum agros colendi sese ingesserit.

OLIM in quadam Styriæ seclusa et confragosa regione fuit vallis, quæ luxuriosa ac mira claruit fertilitate. Eam undique montes prærupti saxosique cingebant, qui iuga sua, perpetuis nivibus tecta, passim in altissima fastigia culminaque extulerunt, unde plurimi torrentes per crebras cataractas decurrebant. Una harum occidentem versus, deorsum scopulum tam excelsum labebatur, ut quum iam sol e conspectu omnium occubuisset, cunctaque infra in tenebris essent, radii eius hanc cataractam lumine ita perfunde-

rent, ut similtudinem imbris aurei ea præ se ferret. Ob eam rem incolæ eius regionis hunc torrentem Aureum Rivum appellarunt. Res curiosa erat quod nullus horum amnium in ipsam vallem decucurrit. Quin cuncti per adversum latus montis defluxerunt, ac per patentes campos, propeque frequentes urbes per circuitus volvebantur. At nubes, a verticibus attractæ, tam crebro illic colligebantur, vallique ita globosæ impendebant, ut temporibus æstús siccitatumque, quum omnia in circuitu languerent et exarescerent, parva vallis pluviis usque rigaretur, adeoque esset fertilis, fœnum adeo procerum, mala adeo rubicunda, uvæ adeo glaucæ, vinumque adeo generosum, mella adeo dulcia, ut quibuscunque hæc sub oculos cecidissent stuperent, ac mirarentur, et ob id locus vulgo Vallis Thesauraria appellaretur.

Tota ista vallicula trium erat fratrum, nomine Schwartz, Hans, atque Glück. Schwartz et Hans, duo fratres maiores, viri erant admodum turpes aspectu, propendentibus superciliis, minutisque ocellis, plerumque semiclausis, ita ut nunquam *in eos* inspexeris, sed ipsi sibi persuadebant se *in te* profundissime inspicere posse. Victum sibi merebant Vallem Thesaurariam colendo, fueruntque cultores præstantissimi. Quidquid enim victum sibi quoquo modo ipsi non merebatur, hi enecuerunt. Iaculati sunt merulas, quod fructus rostris læderent; occiderunt erinaceos, quod lac vac-

carum exsugerent; veneno escarunt gryllos, quod micas in culina devorarent; cicadas quoque oppresserunt, quod totam æstatem tiliis insidentes perstreperent. Famulos suos, nullá solutá mercede, laboribus solebant obruere, usque dum vires deficerent, nec laborando pares essent, quum iurgia cum iis ciere consueverunt, eosque e domibus suis, sine omni mercede, exigere soliti sunt. Prorsus inauditum certe fuisset, si ex eiusmodi prædiis, et huiuscemodi ratione agricolandi magnas sibi divitias non conflavissent; at *conflaverunt.* Quodam molimine plerumque effecerunt, ut frumenta in granariis continerent donec pretia augerentur, ac tum plus dupli quam alias venderent. Itaque constabat eos in tabulato cumulos auri iacentes habere; nunquam tamen memoriæ proditum est eos vel teruncium, aut micam, egentibus in stipem dedisse; nunquam missæ interfuisse; decimas nunquam sine murmure persolvisse; in summa, ita crudeles, et naturá tenaces fuerunt, ut ab iis, quibuscum negotia eis agitare contigisset, per opprobrium, nomen "Fratrum Nigrorum" inditum esset.

Horum minor natu, Glück, tam externa specie, quam moribus, a suis fratribus natu maioribus adeo fuit dispar ac diversus, ut quisquam sibi fingere, aut vel optare posset. Ætatem duodecim annorum vix excesserat, fuitque comis flavis, oculis cæsiis, atque animo humanissimo ac benigno erga animantia cun-

cta. Mirum utique non est, si cum fratribus suis non semper fuerit unanimis. Plerumque munus honoris veru versandi, quum quid ad assandum erat, quod haud sæpe contigit, huic delatum est; nam ut erga fratres iusti simus, fatendum nobis est eos erga se haud minus quam erga alios parcos fuisse. Cæterum alias istius fuit calceos repurgare, tabulatum, non raro et vasa cibaria, eluere et elutrire, subinde etiam sua erat portio quidquid in patinis relictum reperit, tamquam virtutum incitamentum, et, insuper, educationis gratia, liberalia verbera.

Interim res in hunc modum satis longo tempore progrediebantur. Denique æstas venit admodum humida, resque in ea regione omnes in contrarium currere videbantur. Vix fœnum cæsum coacervatumque fuerat, quum metæ integræ fluctibus abreptæ, ac mare versus flutare cœperunt; vites grando depavit; frumentum omne nigra lue erat deletum; verumtamen in Valle Thesauraria, more solito, cuncta erant salva. Ut enim ista semper abundabat pluvia, quum alias carebant, ita nec lumen solis illi unquam defuit, si usquam alias desiderabatur. Omnes undique emptores ad frumenta præstinanda ad hoc prædium confluxerunt, discesserunt autem maledicta in Fratres Nigros late spargentes. Pretia enim ad arbitrium exegerunt acceperuntque, præterquam ab egenis, qui nihil nisi flagitare possent, quorum haud pauci præ foribus

eorum fame periverunt, quin ulla eorum notitia aut ratio habita esset.

Iam hyems frigoraque appropinquabant, quum die quodam illi duo fratres foras prodiverunt, solo parvo Glück cum consueto monitu relicto, ne, dum ipse versando veru operam daret, quemquam aut intro mitteret, aut quidquam foras ederet. Glück itaque proxime quam poterat igni consedit, quandoquidem foris imbres sæviebant, nec parietes culinæ satis sicci prorsus tutum præbebant suffugium. Interim veru satis sedulo versabat, atque assatura pulchre fuscari cœpit. "Pro dolor!" cogitabat secum Glück, "fratres mei neminem unquam ad secum prandendum invitant. Quum tam præclarum frustum vervecinæ sibi suppetat, dum prope nemo vel aridum crustum panis affatim habet, pro certo scio iis delectamento cordis esse futurum, si haberent, qui se socios mensæ præberent."

Vix hæc secum elocutus est, quum ianua gemino pulsu personat, pulsus tamen tam surdum et grave sonabat, acsi pulsatorium pannis obligatum esset, atque ianua tundi, potius quam pulsari dicenda erat.

"Nullo dubio ventus est," fatur secum Glück, "quis enim sibi præsumeret nostram ianuam gemino pulsu temerare?"

Nequaquam; non ventus id fuit, nam pulsus repetitur, et acriter quidem, et, quod etiam magis erat

stupendum, pulsator urgeri ac properare videbatur, nec sequelas pensi habere. Glück ad fenestram accessit, caputque, visum quisnam is esset, exseruit.

Vir is erat statura tam pusillus, forma habituque corporis tam singularis, ut eius similem vidisset nunquam. Nasus eius erat præter morem magnus, et haud parum cuprei coloris; genæ erant admodum abtumidæ et inflatæ, tamque rubræ, ut haud esset absurdum sibi fingere eum duodequinquagenarum horarum spatio ignem refractarium oris flatu fovisse; ocelli e ciliis longis, sericam referentibus, lepide micabant; mystaces eius exturaculi[1] instar in utraque oris extremitate bis erant retortæ; crines vero, colore canastri, in humeros longius devolvebantur. Altitudo eius quaternos pedes cum senis digitis haud excedebat; et cucullionem conicum gerebat pæne eiusdem altitudinis, cum pluma nigra in ornamentum insuper, fere trium pedum altitudinis. Tunica eius a tergo elongata erat in similitudinem admodum exaggeratam geminarum caudarum, quas ab hirundinibus appellant, sed hæ a tortuosissimo sinu rugisque ingentis nigri fulgidique pallii obumbrabantur. Pallium istud serena tempestate nimis longum videbatur, siquidem ventus, circum vetustam domunculam sibilo

1. *Exturaculum* voco rem quá suber, *obturaculum* orificii lagenæ vinariæ, sabaiæ, medicinariæ, evellimus.

flans, id inde ab humeris in quaternam circiter hominis longitudinem eripiebat.

Glück ita prorsus obstupuit aspectu sui hospitis, ut nec loco moveri, nec vel verbum proferre posset, donec senecio iterato acriorique edito pulsu circumverteretur, laciniisque sui pallii modum poneret. Dum oras pallii sui sese versando sibi obvolvitat, animadvertit flavum Glück caput per fenestram extrusum, ore oculisque perquam hiantibus et patulis.

"Heus, ephebule," affatur eum homuncio, "istene tuus est ianuam aperiendi modus? Ego, profecto, admodum madeo, admitte me!"

Verum si fatendum sit, homunculus certe madore stillabat. Pluma illi flaccida inter crura sua pendebat, tamquam cauda caniculi profligati, et instar umbellæ udæ, veluti scatebrá, manabat, de extremis autem mystacibus aqua in sacculos colobii sui, tamquam rivulus molaris, decurrebat.

"Ignosce, mi here," respondit Glück, "quod postulas, facere fas mihi non esse, valde doleo."

"Quid non est fas?" quærit senecio.

"Te huc intromittere mihi fas non est; revera, non possum; si id tentarem, fratres mei ad cædem usque me verberarent. Cæterum quid a me vis?"

"Quidnam velim?" petulanter quæritat senecio. "Utique ignem ac suffugium volo. En tuas ingentes flammas, ut eæ exsultant, crepant atque rubent, pa-

rietes calefaciunt, utitur autem earum calore nemo. Intromitte me, inquam; nihil nisi me refocillare volo."

Glück interea caput suum tam diu extra fenestram porrectum habebat, ut iam satis exploratum haberet quam algidum foris esset, quidque alsius ventus ac pluvia foris possent. Quum autem se verteret cerneretque iucundas flammas ut eæ flagrarent et crepitarent, earumque subinde linguæ in caminum subsultarent, item pernam vervecinam tam suaviter redolentem lingulis lamberent, cor sibi mollescere, ac perspicere cœpit quid eædem nullius beneficio, et incassum consumerentur. "Ipse certe admodum madet," ait sibi parvulus Glück, "tamen intromittam eum ad summum ad quadrantem horæ." Circuivit igitur ad ostium, idque adaperuit; et ut homunculus intrabat, flabra venti tanta irruebant vi, ut fumarium vetus tremeret et nutaret.

"Factum præstanter, puerule mi!" fatur homunculus. "Fratres fac minime cures. Cum iis iam ipse agam ego."

"Quin, here, obsecro, nihil eiusmodi tentes," inquit Glück. "Usque eo dum illi venerint te hic morari non sinam; actum etenim de me esset."

"Dii melius vertant!" fatur senex mirabundus. "Ægre id audio. Usque quo sines me morari?"

"Usque dum vervecinam paratam habuero; iam etiam est satis fuscula."

Tunc senecio otiose progreditur in culinam, ibi in pinnaculo muri lateralis foci considet, apice sui cucullionis, quod eius vertex altitudinem culinæ excedebat, in caminum promisso.

"Vestes tuæ, mi here," inquit Glück, "ibi mox exsiccabuntur;" quibus dictis, ad versandum veru iterum consedit. At vestes senis minime siccabantur, quin guttæ cadere nequaquam cessarunt, sed defluere in favillas pergebant, ignis autem sibilare ac sputare cœpit, et pedetentim nigrescere, atque tristiorem aspectum induere; pallium istiusmodi nunquam antea visum est: quæque eius ruga imbricis more aquam fundebat.

"Here mi, obsecro," ait tandem Glück, postquam per quadrantem horæ observabat aquam de pallio fluentem, atque instar fili hydrargyri per medium pavimentum manantem; "visne ut tibi pallium in loco sicco pendam?"

"Habeo tibi gratiam, filiole, sed id minime expedit;" respondet senecio haud omnino lepide.

"At, mi here — revera doleo," instat Glück invitus, "equidem vereor, herule, ne mihi ignem restinguas."

"Nihil refert, tanto diutius durabit vervecinam assare," retulit senecio minime turbatus.

Glück multum stupuit, miratusque est mores sui hospitis, nec illi plane liquebat utrum ii mores collecti

magis fuerint an humiliores. Vultum igitur avertens, veru per ulteriora quinque minuta versare perrexit.

"Aspectus vervecinæ illius certe præclarus est," denique fatur senecio. "Nonne posses mihi offam ex ea præbere?"

"Nullo pacto, here mi!" refert Glück.

"Admodum esurio," prosequitur homunculus. "Nec heri, nec hodie quidquam ad gustandum habui. Certe micam ex articulo fœmoris fratres tui haud iacturæ loco haberent."

Senecio voce adeo mœsta loquebatur, ut corculum Glück prorsus liquesceret. "Fratres mei segmentulum eius mihi in hodiernum diem promiserunt," inquit, "hinc licere me existimo id tibi dare, mi here, sed ne micam quidem plus."

"En puerum probum!" laudat eum hospes.

Tum Glück patinam calefecit, cultrumque acuit. "Nec curo si ob hoc vapulem," cogitat secum. Ipso momento temporis, ubi frustulum e vervecina desecuerat, vehemens pulsus ianuæ exaudiebatur. Senecio desiliit de pinna, quasi iam nimium illic caleret. Glück reposuit frustulum resectum ut loco hæreret, interim autem ad ianuam aperiendam cucurrit.

"Quid nos tantum temporis in pluvia detines ac demoraris?" increpitat eum Schwartz, ut ingressus umbellam detentam ei in vultum iniecit; sic sane, furcifer parve," subiungit Hans, superaddito circa

auriculam educatorio pugni ictu, ubi is post fratrem in culinam ingressus est.

"Dii nobis propitii sunto!" fatur Schwartz, ut ianuam intrat.

"Faxint Dii" obsecundat homuncio, sublato cucullione, dum interim se in media sistit culina, maximaque celeritate se proclinat.

"Quisnam ille est?" quærit Schwartz, prehenso volgiolo placentario,[1] et vultu admodum torvo.

"Equidem ego nescio, frater mi," refert Glück perterritus.

"Equí est nactus ingressum?" vagit Schwartz.

"Adeo scilicet pluviá madebat, mi frater," deprecabatur Glück.

Iam volgiolus in caput Glück descensurus erat, quum senecio cucullionem suum interposuit, qui ictum excipiebat tanta succussione, ut aspergo per totum cubiculum dissiliret. At hoc erat maxime mirum quod volgiolus non antea attigerit cucullionem, quam etiam e manu Schwartz elisus sit, ingentique verticillo, tamquam stramen in turbine, circumferri cœperit, ac, tandem, in adverso cubiculi angulo deciderit.

1. *Volgiolum placentarium* placet appellare illud instrumentum ligneum teres, quo coci et pistores pastillas in placentas, sive lamnas, explanare et extenuare solent.

"Quis es tu?" ad senem conversus Schwartz scire postulat.

"Quid tuum est negotium?" canino hirritu Hans quærit.

"Misellus senecio sum, here mi," humili ac modesto more homunculus explicare pergit; "viso nempe per fenestram igne, eius lumine inductus, suffugium vel ad quadrantem horæ hic quærere statui."

"Velis itaque iam hinc abire," fatur Schwartz, satis enim aquæ iam in culina habemus, quin tu eam siccatoriam facias."

"Tempus nimis algidum uvidumque est, nec senem convenit tam impropitia tempestate tecto evertere; vide sis canos meos." Hi enim, ut iam antea dictum erat, in humeros eius dependebant.

"Hem, ad te operiendum habes eorum satis," refert Hans, "abi!"

"At ego admodum esurio, mi here, numquid non vobis superest frustulum panis, quo famem expleam, antequam abeam?"

"Panis? ais tu?" quærit Schwartz, "an tu existimas nullum nos pro pane locum et usum reperire posse, nisi ut rubro-nasonibus, tui similibus, eum dispertiamus?"

"Ut quid non vendis pennam tuam?" irridens quærit Hans. "Iam hinc facesse!"

"Paulisper!" instat senecio.

"Apage!" clamat Schwartz.

"Rogo vos, ingenui viri — "

"I in malam crucem!" inclamat eum Hans per collare comprehensum. Simul tamen atque collare senis attrectarat, volgioli fata eum supervenerunt: gyrabat enim ac versabatur eodem modo, ac, denique, in angulo super eundem concidit. Ira tunc multum incensus eius frater Schwartz, ad eiiciendum homunculum, eum adoritur. Verumtamen et ipse, primum quam senem contrectavit, abactus ruit non aliter quam Hans, atque volgiolus, caputque in angulo corruens parieti illisit. Sic itaque omnes tres illic in cumulo iacuerunt.

Tum senecio veloci gyratu sese in adversam partem cubiculi contulit, gyrabatque usque eo dum laciniæ pallii sui circum corpus nitide colligerentur; dein, cucullione arctius capiti impresso, quippe qui hactenus ad latus dependulus erat, non enim erigi poterat quin lacunar perfoderet, mystacibus etiam ulterius intortis, omnino compositus, sereno fatur animo: "Heri mei, faustum felixque vobis precor mane. Horá duodecimá hac nocte iterum vos visitabo; nec post tam invitam hospitalitatem, quá me excepistis mirari debebitis, si post hanc apud vos experientiam, amplius vos non visitaturus sim."

"Si unquam te hic offendero," mutiebat Schwartz, ut satis perterritus ex angulo proserpebat, — verum

antequam sententiæ finem facere potuisset, senecio ianuam domus magno strepitu post se obdidit; atque eodem temporis momento ante fenestram tractus nubis lacer prætervehebatur, unde deorsum in vallem in omnes species convolutus ruebat, in aere iterum iterumque circumversatus, donec edito denso imbre, evanuit.

"Egregium sane negotium, here Glück!" affatur eum Schwartz, dapina sis vervecinam. Si te in eiusmodi molimine iterum deprehendero — at, Hercle, assatura excisa est!"

"Quin tu, frater, nonne mihi offam promisisti?" obtestatur parvulus Glück.

"A! et ob eam rem tu vervecinam semiassam, ut plus succi caperes, carpsisti. Diu tibi exspectandum erit, mihi crede, donec tibi talequid pollicear. Effer te nunc ex isto cubiculo, et usque eo dum te accersero, in cellario lithanthrácino[1] moráberis."

Glück satis mœstus cubiculum reliquit. Duo fratres tantum vervecinæ voraverunt quantum collibitum est, quod vero eius supererat in caliculario recondiderunt, deinde, sic pransi, se ebrios compotaverunt.

Verum enimvero, qualis nox supervenit! Furen-

1. *Lithanthrax*, *-cis*, m., lapis ruber, vel, ardens, illud fossile v. metallum, quod loco *carbonis*, v. ligni, in focis, clibanis ac fornacibus urimus.

tes venti, cataractæque imbrium tota nocte non cessarunt. Fratribus haud plus quam satis sobrietatis supererat ad fenestram tabulis claudendam, et ad ianuam duplici claustro muniendam antequam cubitum ivissent. Plerumque in eodem cubiculo soliti sunt dormire. Horologio duodecim sonante, immani strepitu suscitabantur. Ianua sua tam violento ictu ac boatu intrusa est, ut domus tota, a summo ad ima, concussa nutaret.

"Quid hoc est?" terrore perculsus clamat Schwartz.

"Nihil, nisi ego!" respondit homuncio.

Duo fratres in cervicalibus erecti cœcutiebant. Cubiculum aqua operiebat, atque lumine nebulosi radii lunæ, qui per foramen in tabulato fenestræ irrepebat, ingentem globum spumæ in mediis aquis speculari poterant, ut ea ad instar suberis huc et illuc, sursum deorsumque fluitabat, super quam, ceu in commodissimo pulvillo, senecio, cum cucullione, cæterisque rebus uná, reclinis, sedebat. Satis nunc spatii pro cucullione, siquidem tectum prorsus aberat.

"Pœnitet me vobis incommodo esse," fatur hospes cum ironia. "Existimo etiam vestros lectos parumper madere; satius fortasse vobis erit fratris cubiculum petere: ibi enim tectum salvum reliqui."

Monitum secundum minime exspectandum rati, in cubiculum Glück cucurrerunt, madidi ut erant terroreque exsangues.

"Chartulam, nomen meum ferentem, in mensa reperietis culinaria," clamat post eos senecio. "Memineritis me ultimo vos visisse."

"Faxint Dii ut ita sit!" tremens respondet Schwatz. Interim globus spumeus evanuit.

Denique dies illucescere cœpit, quum duo fratres e parvula fenestella Glück prospectabant. Vallis Thesauraria omnino eversa ac desolata iacuit. Diluvio arbores, segetes, iumentaque prorsus delevit, eorum autem in loco solitudinem sabulone rufam, lutoque inviam, reliquit. Duo fratres e frigore tremuli, horroreque rigentes, intraverunt culinam. Aquæ totum pedeplánum merserunt: frumentum, pecunia, pæneque cuncta mobilia abrepta erant, nec quidquam nisi chartula alba in mensa culinaria repertum erat. In ea maiusculis, dilatatis, ac veluti ventosis litteris inscriptum legerunt: —

HERVS AFRICVS



CAPUT II

Quid duo Fratres post visitationem heri Africi gesserint; et quemadmodum parvus Glück regem Aurei Rivi ad colloquendum convenerit.

HERVS AFRICVS ipse, perinde ac sua verba, sibi prorsus consistebat. Post visitationem momentosam, quam supra retulimus, Vallem Thesaurariam nunquam amplius ingressus est; quod vero hoc etiam peius erat, apud suos cognatos Vulturnium atque Zephyrum, multum poterat, et ita usus est hac potestate ut hi quoque haud aliter sibi agendum putarent. Proinde ab initio anni ad finem usque in ea regione prorsus nulla pluvia erat. Itaque, quamvis in regione campestri in ima planitie omnia læte virerent, ac florerent, patrimonium Trium Fratrum solitudo deserta facta est. Solum, quod hactenus fertilissimum totius regni erat, in rufas mobilesque arenas prorsus steriles versum est; atque fratres, quum colluctari cum cœli asperitate et inclementia amplius non vale-

rent, ad victum sibi merendum, deserto suo patrimonio, in vallem commigrarunt, societatemque humanam in urbibus locisque campestribus quæsiverunt.

"Quid si artem aurifabrilem tentaverimus?" quæritat Schwartz ab Hans, ubi frequentem quamdam urbem appropinquarunt.

"Ars egregia fraudatorum est: liceret enim in ea copiam auri admixta mole cupri pulchre adulterare, quin id ulli mortalium unquam innotesceret."

Placuit propositum, convenitque inter illos, prohinc clibanum conduxerunt, atque fratres aurifabri facti sunt. Duo tantum prosperitati suæ artis obstabant: alterum, quod adventoribus suis cupreatum aurum minus placebat; alterum, quod quum eis quidquam vendere contigisset, parvum Glück solum ad clibanum administrandum relinquere soliti essent, ipsi autem in proxima caupona quidquid meruissent, in potanda sabaia prodigere consuevissent. Itaque totum quod auri habebant liquaverunt, et quum non haberent unde novas suppetias emerent, quum pretium perpotavissent, tandem eo ventum est ut capidem, quam patruus donaverat parvulo Glück, et quam hic perquam in pretio habebat, nec iacturam eius pro universo mundo facere vellet, etiamsi nihil unquam ex ea nisi aquam aut lac bibisset, concupiscerent. Capis ista etiam aspectu erat admodum curiosa. Ansula eius e cirris capillorum aureorum geminatis erat effi-

cta, tanta arte texta, ut fibræ potius e serica quam e filis metallicis formatæ esse viderentur. Textura ea defluebat miscebaturque cum barba, operis faberrimi, quod vultum humanum delicatissime conformatum ex auro purissimo, omniumque maxime furvo, exprimebat sed paullo severiorem atque iracundum. Supra, in vultu humano, in anteriore parte capidis, par oculorum videbatur, quorum imperio ac dominationi tota vasis superficies subesse parebat. Nemo autem ex hac capide bibere poterat quin oculi hi in oculos potantis acriter defigerentur; unde Schwartz ut factum indubitatum narrabat hos oculos, postquam capidem, vini Rhenani plenam, decies et septies hausisset, in se nictasse. Quum denique fratres decrevissent e capide cochlearia fabricari, dolor ex rei conscientia tantum quod corculum parvi Glück non contrivit. At sui fratres nihil nisi riserunt eum, et capidem in ærariam coniecerunt; quo facto, ipsi in contiguam cauponam iam titubantes digressi sunt, et eum, more suo, solum reliquerunt ut aurum, quum omnia ad id parata essent, in lateres conflaret.

Post eorum discessum Glück dilectæ suæ capidi in æraria iacenti ultimo obtutu valedixit. Textura crinium iam evanuit, rubens tantum nasus scintillantesque oculi modo supererant, qui usque petulantes prospectabant. "Nec mirum," secum cogitabat Glück, "quum hunc in modum tractentur." Inde nunc ad

fenestram exspes perambulabat, et ibi ad captandam, serotinam auram, post tantum caloris a clibano perlatum consedit. Ex hacce fenestra latissimus in iuga montium prospectus patebat, quæ, ut iam antea monui, Valli Thesaurariæ impendebant, præsertim autem in verticem, unde Aureus Rivus decurrebat. Dies iam nunc ad finem vergebat. Glück, ut ad fenestram resedit, oculos in longinquis rupibus pascere cœpit, viditque cacumina earum iubare occumbentis solis inaurata et inflammata, ut nonnullæ nubium linguæ circumpendentes veluti flagrare videbantur; item torrens, qui cæteris etiam magis fulgidus undarum puri auri instar atque ardentis columnæ ex uno præcipitio deorsum in alterum cadebat, quum interim arcus cœlestis purpureus latus in transversum illi impendebat, nunc coloribus in sua aspergine vividius inflammatis, nunc vero languescentibus.

"Ah !" fatur Glück elata voce, postquam oculos diu ea visione pavisset, "utinam torrens ille revera solidum aurum esset, quam foret iucundum !"

"Non foret, profecto, mi Glück !" interloquitur quædam vox clara et metallica, a suis auribus haud procul.

"Dii boni, quidnam est hoc ?" clamitat Glück in pedes subsiliens.

Nemo in conspectu erat. Circumspectat in cubiculo, dispectat subter mensam, identidem respectat

pone se et iuxta se, at certe neminem vidit, proinde iterum resedit ad fenestram. Nunc iam nihil locutus meditabatur, nec a priori cogitationum cursu sibi temperare poterat, iterumque ratum ei videbatur desiderium, si quo casu rivus ille in solidum aurum mutaretur.

"Non foret, mi puerule;" fatur eadem vox etiam firmius.

"Quidnam, Ædepol, hoc est?" iterum quærit Glück. Iterum inspectat calicularium, omnes cubiculi angulos, et quaquaversum, ut in medio cubiculo stans, se versabat, continuo suspicatus aliquem pone se latitare, quum eadem identidem vox cantilando in auribus suis perstrepuit, "La-la-lira-la," nullis quidem verbis, sed sono tantum lenem melodiam profundebat, susurro ferventis in lebete aquæ haud multum dissimilem. Dein Glück per fenestras foras spectabat. At vero vox non foris, sed intus sonabat: sive sursum in diæta, sive vero subtus in pedepláno. Neutiquam; id in isto ipso cubiculo sonuisse necesse est; et cantilena iam iterum presonabat, sed iam voce firmiori, et numeris celerioribus quam ante "La-la-lira-la." Tum animo Glück incessit suspicio sonum hunc acriorem e regione ærariæ manare. Eo itaque currit, levat operculum, inspicit, et recte sibi videtur se speculatum fuisse, nam cantilenam non modo ex æraria, verum plane e capide manare certum erat. Tollit igitur

operculum, et protinus fugit, terrore pavitans: certe etenim capis cantilabat! Tantum in adverso angulo consistere ausus est, labiis apertis, manibus per pauca tantum momenta sublatis, quum cantilena demum cessavit, vox autem magis sonora facta est, quin etiam sic fari cœpit:

"Heus!" clamat vox ad eum.

Glück nullum reddit responsum.

"Heus, mi puellule, Glück!" fatur capis iterum.

Omni igitur sua fortitudine fultus Glück ad clibanum accedit, catillum, sive crucibulum, inde eximit atque introspectat. Aurum totum erat fusum, eiusque omnis superficies tam erat lævis ac polita quam fluvii; attamen loco vultum Glück repercutiendi introspectantis, conspicatur subtus massam auri imaginem rubri nasi scintillantiumque oculorum dilectæ suæ capidis, vel millies magis rubentem nasum micantioresque ocellos quam unquam antea viderat.

"Age mi puerule Glück," fatur iterum vox e capide, "ego prorsus salvus sum, fac me effundas."

At Glück pavore longe arctius tenebatur, quam ut idgenus facinus tentare auderet.

"Age, effunde me, inquam!" rudiuscule repetit eadem vox.

Tamen Glück se movere usque non est ausus.

"Quin tu non perges me effundere?" iratus pergit vox. "At ego iam nimis caleo."

Viribus omnium artuum concitatis, Glück tandem crucibulum apprehendit, id ad unum latus vertit, ut omne aurum efflueret. Verumtamen loco auri liquidi primum venustum par crurum flavorum, tum laciniæ tunicæ, dein duo brachia coxim posita, ac, postremo, notissimum caput amici sui capidis prodibant, quæ omnia, ut in apricum excesserant, in solum evolvendo sibi coaluerunt, ac solo contacto, pumilio in pedes se erexit altitudinis vix sesquipedalis.

"Factum bene!" fatur pumilio, prius crura, tum brachia, mox artus omnes, denique caput porrectans collumque, quoad licuit, fere quinque minuta circumquaque versans, eo scilicet proposito ut cognosceret utrum membra sua probe composita essent, et utrum quæque proprie moverentur, dum Glück non sine hilari lepore miratus adstabat. Indutus autem pumilus erat tunicellá e filis aureis texta tam subtilibus, ut quasi intexti iricolores velut conchæ micarent. Super hanc tunicellam fulgidam ad dimidiam fere corporis altitudinem in cincinnum demissa barba defluebat, nec Glück discernere poterat ubi desineret, sed in aere ei diffluere videbatur. Lineamenta tamen vultus eius non tam delicatæ subtilitatis erant, quin potius rudiora videbantur, colorque faciei cupreo erat similior, atque indolem pusilli huius pertinaciorem magisque intractabilem prodebat. Finito sui examine pumilio acutos suos ocellos rectá in Glück sublevavit,

eumque per minutum, aut plusculum, acriter contuebatur. "Haud ita foret, Glück, mi-puelle!" ait homunculus.

Hoc abruptum, et certe sine nexu, erat alloquendi genus. Poterat quidem id ad fluxum cogitationum Glück referri, quem priora verba pumili e catino excitarant; sed quocunque demum referendum sit, Glück minime putabat sibi de ea re disceptandum.

"Non ergo esset, mi here?" quærit Glück humiliter et leniter.

"Non ita!" iudicis gravitate respondet pumilio; "nequaquam foret." Hoc dicto pumilus cucullionem suum superciliorum tenus deorsum vulsit, duosque circuitus trium pedum longitudinis in cubiculo fecit, pedibus suis altissime quam poterat sublatis, tum violenter demissis. Hoc temporis intervallo Glück ad cogitationes suas colligendas usus est; et quum nullam graviorem causam perciperet quare a pusillo suo hospite sibi metuendum existimaret, ac, porro, quum stuporem suum curiositate superari sentiret, quæstionem delicatiorem ponere non dubitavit.

"Obsecro, mi here," sumpto animo quærit Glück; "nonne tu capis mea paullo ante fuisti?"

Audito hoc, homullus alacri motu se vertit, ad Glück accedit, ad summam se proceritatem suam attolit, atque: "Ego," inquit, "rex sum Aurei Rivi." Hoc dicto iterum se vertit, iterumque duos circuitus

senum pedum longitudinis perambulat, tempore concesso ut Glück interea stuporem ex auditis conceptum perpendere ac digerere posset. Deinde iterum reversus, ante Glück se stitit ut audiret quid Glück de effatis suis sibi existimandum putaret.

Glück aliquid respondendum sibi duxit, quilibet sit rerum eventus. "Maiestatem tuam," inquit, "bene valere spero."

"Audidum!" refert homunculus, urbanam quæstionem nihil dignatus, "Ego sum rex eius quod vos mortales Aureum Rivum vocitatis. Species, in qua me videras, sceleri cuiusdam potentioris regis debetur, a fascino cuius, tu hoc temporis momento me liberavisti. Ob ea omnia quæ ex te tuisque rebus, cum fratribus tuis sceleratis gestis, ad servitia præstanda paratum me sentio. Quamobrem animum ad ea quæ dicam adverte. Quiscunque conscenderit culmen eius montis ex quo Aureum Rivum scatere cernis, atque, quiscunque scatebræ ad ipsum caput et fontem tres guttas aquæ benedictæ iniecerit, eius in gratiam, et eius solius tantum, rivus in aurum convertetur. At nemo semel frustratus tentamen cum successu repetet; siquis vero aquam non benedictam amni iniiciet, aquis eius obruetur, ipse autem in saxum nigrum mutabitur." Sic fatus rex Aurei Rivi se vertit, atque rectá candentissimas flammas clibani invasit. Statura eius pedetentim incaluit, tum irrubuit, mox candere,

pellucida fieri, coruscare — fulgor fieri impensissimus — dein levari, tremere, evanescere. Rex Avrei Rivi evanuit.

"Va !" clamat Glück misellus, dum interim currit subter caminum profugum persecuturus. "Dii boni !" meam en capidem ! Meam capidem ! Meam capidem !"



CAPUT III

Quemadmodum Herus Hans expeditionem ad Aureum Rivum susceperit, et quemadmodum ibi prosperaverit.

VIX REX AVREI RIVI tam singulari modo, ut in superiori capitulo narravimus, e medio discesserat, Hans et Schwartz, immani modo ebrii, domum boantes intraverunt. Quum paullo post comperissent ultimam etiam laminam auri se penitus amisisse, saltem usque eo sobriefacti sunt ut in Glück se præcipitarent, eumque per solidum quadrantem horæ caiarent ac mulcarent; quo peracto se in sellas propinquas coniecerunt, copiamque sese purgandi ei dederunt, quid scilicet ad extenuandum suum scelus allegare posset. Glück itaque quid sibi evenerit ex ordine enarravit, e quibus narratis ipsi utique ne verbum quidem crediderunt. Itaque eum iterum fustigarunt, donec brachia lassa conciderent, ac tum demum titubantes dormitum iverunt. Postridie tamen, quum Glück in rela-

tis constanter perseveraret, apud eos quandam fidem meruit. Primus huius fidei eventus fuit dissidium inter fratres, diuturnaque contentio, uter eorum prior rei periculum facturus esset; quocirca strictis gladiis inter se certarunt. Vociferatio inde exorta atque strepitus vicinos in terrorem coniecerunt; qui quum certantes in gratiam conciliare non valerent, rem ad magistratum detulerunt, unde lictor est missus qui rixam vi sopiret.

Ea de re certior factus Hans arte effecit ut clam evaderet, seque absconderet; verum Schwartz raptus ad magistratum est, atque iudex eum ad servandam pacem mulctavit; quoniam tamen pridie vesperi omnem suam pecuniam ad ultimam libellam perpotaverat, nec solvendo esset, usque eo dum solvere posset, in vincula est coniectus.

Ut Hans hoc inaudivit valde est gavisus, statuitque iter ad Aureum Rivum sine mora ingredi. Id unum modo quærebatur, quo potissimum modo aquam benedictam sibi comparare posset. Adiit itaque parochum; at parochus aquam benedictam homini tam perdito impertiri plane recusavit. Postero igitur die, qui fuit Dominicus, Vesperis interesse statuit, totá suá vitá primum; qua usus occasione, sub specie se aquá benedictá lustrandi, scypho pleno furto sustulit, eamque secum domum cum triumpho reportavit.

Postridie iam ante solem surrexit, aquam bene-

dictam lagenulæ solidæ infudit, duas lagenas vini, et aliquantum carnis assæ cum pane quasillo imposuit, hoc autem humeris suspenso, sumptoque baculo alpino, iter iugum montis versus ingressus est.

Eo itinere e suo pago carcerem oportebat eum præterire. Inspectando fenestras quemnam putabimus ei sub oculos cecidisse, nisi ipsum Schwartz inter clathra prospectantem, qui admodum pendens erat animi.

"Salve mi frater!" affatur eum Hans; "quidquamne habes quod regi Aurei Rivi nuntiare velis?"

Schwartz præ furore dentibus frendebat, clathraque omnibus viribus quassabat, sed Hans tantum irridebat illum, suasitque ei, ut usque eo dum ipse reverteretur, iucunde læteque tempus degeret, tum quasilo sublato, lagenuláque aquæ benedictæ ante oculos Schwartz ostentatá, ut labiá huius rabie fere spumarent, iter suum susceptum animo perquam erecto prosequebatur.

Dies profecto illuxit talis, qualis quempiam, etiam Aureum Rivum non præ oculis ferentem, voluptate beare poterat. Infra, per longitudinem vallis strata roscidarum nebularum iacebant, e quibus montes in excelsa erupebant; humiliores eorum vertices opacis obtegebantur umbris, vixque a fluitantibus vaporibus discernendi, sed leni ascensu sursum vergentes in lumina solis eluctabantur, quæ acriori colore

rutilo percurrebant celsiores cautes angulares, tum in lineas planas strati, per fimbrias conicarum pinuum transvolabant. His multo altius, in longinquo, præceps cernitur rubicunda rupes, ruderum mole obruta, castellique in speciem fissa et fracta, innumerisque fragmentis ac ruderibus constrata, ac formas nonnisi in somniis fictas referens, caput suum in excelsum erigebat, cuius in anfractibus passim venæ nivium sole collustratæ, tamquam cornuta ac ramosa fulgura, quaquaversum repebant; sed et his longe celsius ac superius, nubeculá matutiná languidius, ac purius et immutabile, in cærulo summum quiescebat, sempiternis nivibus opertum, culmen et fastigium.

Aureus Rivus, qui ex una summitate humiliori, nec nive operta, emanabat, iam prope umbris erat obrutus, præter summum asperginis rorem, qui supra variabiles cataractæ oras levis fumi instar in altum surgebat, ac veluti tenella velorum strata fluitabat in matutinis flabris.

Oculi Hans in hac una et unica re erant defixi; immemor longinquitatis superandæ, iter suum tam immoderata celeritate perficere conabatur, ut antequam vel priores vertices humiliorum collium virentium superasset, iam viribus exhaustus esset. Præterea, quum iam hos colles superasset, quamquam situs naturæque horum montium longá experientiá haud erat ignarus, admodum mirabatur se in fluentum

glaciale incidisse, quod ipsi omnino ignotum erat, et quod se ab Aureo Rivo seiungebat. Itaque summá monticolæ audaciá illud intrare non dubitavit; mox tamen sensit se nunquam antea in omni vita tam insolitum, tamque perniciosum glaciale transire tentavisse. Glacies admodum erat lubrica, et ex omnibus eius hiatibus sonitus audiebatur ruentium aquarum, nec hoc unisonum murmur, sed variabilis et elata, subindeque efferata melodia, sive ruptus singultus et eiulatio petila, non raro in speciem humanæ vocis quiritantis. Glacies in millena fragmenta nullius formæ erat comminuta, sed tamen, ex opinione Hans, nequaquam in consuetam speciem glaciei aculeatim fissæ. Lineamenta fragmentorum istorum curioso quodam modo certas quasdam figuras præ se ferre videbantur, — perpetuo enim figuras vivorum vultuum ex odio vel simultate torvorum exprimebant. Millena umbrarum fallentium luminumque luridorum circum se fluitabant ac versabantur, item in cærulo-candidis glaciei pinnaculis, oculisque viatoris corusco fulgore officiebant, dum, interea, aures ei hebescebant caput autem vertigine, ab aquis subtus cum fragore ac boatu ruentibus, rapiebatur. Eadem qua progrediebatur ratione hæc molestissima incommoda augebantur. Glacies circa pedes eius passim in nova fragmenta non sine fragore rumpebatur, novi oriebantur hiatus, novique scopuli se erigebant ac nutabant

utrimque, aliquot etiam ante se corruebant. Tametsi hæc, similiaque discrimina, ipse iam antea in aliis glacialibus maxime horribilibus sæpius expertus est, atque pessimis tempestatibus, nunc, nihilo secius, novo quodam terrore Panico oppressus transsiliebat ultimum hiatum, quo perfecto, viribus ad extremum exhaustis, omnibusque artubus tremens, sese in cæspitem ad latus montis loco tuto proiecit.

Quandoquidem in discrimine fluentum glaciale transeundi canistrum cibariorum magno sibi incommodo futurum erat, id sibi necessario in adversa ripa relinquendum censuit, et sic, præter frustula glaciei, quibus se reficeret, habebat nihil. Ita sitim quidem restinxit, atque quies etiam unius horæ corpus suum arduis exercitatum laboribus recreavit, atque animus indomitá avaritiá accensus, eum ad iter prosequendum incitavit.

Via eum nunc per dorsa sterilium ducebat rubentium saxorum sursum abrupte vergentium, absque vel unica herba ad molliendos gressus, vel absque unius digiti pinnis, quæ contra æstum solis australis umbram præberent. Iam meridies erat, atque fervor solis callem ingenti urebat æstu, dum omnis aura plane stare caloreque fervere videbatur. Lassitudini, qua Hans nunc iam laborare incipiebat, sitis quoque accessit, quæ eum iam admodum urgere cœpit. Semel iterumque despectavit in lagunculam aquæ e cingulo

pendentem. "Vel tres sufficient guttæ," secum dictitabat, "modo labra iis refrigerem."

Sublevat lagenulam, eamque apertam labris applicat, quum illi prope ad se aliquid, quod sibi moveri videbatur, sub oculos cadit. Caniculus erat, et, uti parebat, mortis in luctamine. Lingua eius extrusa pendebat, maxillæ arefactæ, immoti artus porrecti erant, atque examen nigrarum formicarum circa labia faucemque eius scatebat. Oculos ad lagenulam, quam Hans manu tenebat, avidus levabat. Is laguncùlam ad propria labia admovit, canem iacentem sprevit, pede a via retrusit, iterque prosecutus est. Interea, nec sciebat quonam modo, tamen umbram quamdam cærulam insolitam necopinato supervenire sibi videre videbatur.

Semita interim magis magisque ardua et confragosa fieri cœpit, aura autem montana non modo eum non allevavit, ut erat exspectandum, verum etiam ingravescebat, ita ut sanguinem febri incenderet. Torrentum cataractæ veluti ludibria auribus suis sonabant; omnes longe aberant, sua autem sitis sensim augescere cœpit. Iterum alia elapsa est hora, iterumque in lagenulam e latere pendentem usque adhuc ad medietatem plenam despectabat, quæ tamen plus quam tres ferebat guttas. Ad eam itaque aperiendam iterum constitit, et dum huic operam dat, aliquid prope se moveri iterum animadvertit. Puellus flavis

comis in scopulo iacebat in sua semita, pectore præ siti anhelo, oculis clausis, labiisque ardentibus, propeque mortuus. Hans oculis in puellum defixis statum eius cognovit, ast, potu sumpto, incurius discessit. Tum atra nubes solem supervenit, atque longæ umbræ, veluti colubri, in acclivibus montis lateribus sursum serpere cœperunt. Hans ulterius itare pergit. Iam sol occasum versus declinabat, nullum tamen attulit refrigerium. Onus fere plumbeum aeris immoti illi incumbebat, ac pæne cor eius obruebat, meta tamen iam erat prope. Iamque conspexit cataractam Aurei Rivi, vix quingentis pedibus supra se e latere montis scaturientis. Paululum ad spiritum ducendum constitit, tum novo conatu enititur ad opus conficiendum.

Hoc puncto temporis languida vox in aures suas incidit. Vertit se, cernitque senem canis capillis in rupe prostratum. Oculi eius in cavis erant mersi, vultus veluti cadaveris pallebat, eratque ad loquendum ex desperatione intentus. "Aquam!" deprecabatur Hans brachiis ad eum sublatis; "præbe mihi aquam, siti emorior."

"Nullam habeo," respondit Hans, "tu enim tuam sortitus es vitæ portionem." His dictis transgresso senis prostrato corpore iter suum prosequitur. Tum ex orientali cœlo fulgur cæruleum emicabat in similitudinem gladii, ter totam cœli superficiem percucurrit,

cœlumque totum contremuit, et omnem eius faciem densa caligo obruit. Eodem tempore sol horizontem occiduum attigit, et tamquam ingens orbis igneus in ima mergere cœpit.

Boatus Aurei Rivi nunc primum aures Hans percussit. In ora stabat præcipitii, quod torrens percurrebat. Fluctus eius gloriá solis occumbentis coruscabat; undæ cristas suas, tamquam linguas flammeas agitabant, spuma autem undis iactata sanguineo lumine refulgebant. Sonitus fluctuum sensim augeri, et mugitum circum se immani modo accrescere sentiebat; undis tonantibus pedetentim vertigo eum incessit. Formidine tremens lagenulam de cingulo suo deprompsit, eamque in medium torrentem proiecit. Dum hoc molitur, veluti scintilla glacialis omnes artus eius periaculatur: vagitum edit, titubat, præceps ruit. Fluctus obruunt vagitum eius, et gemitus fluctuum in sævum boatum augescebant, ut in multam noctem præterruebant

NIGRUM LAPIDEM.

CAPUT IV

Quemadmodum Herus Schwartz iter ad Aureum Rivum susceperit, et quam prospere ibidem res gesserit.

MISELLVS Glück parvulus solus domi perquam sollicitus reditum Hans præstolabatur. Quum eum nequaquam redivisse intelligeret, maximo terrore percitus ad carcerem cucurrit remque omnem fratri suo Schwartz patefecit. Hæ res Schwarz nimium quam multum placuerunt, dixitque fratrem Hans absque dubio in nigrum esse versum lapidem, futurumque ut ipse omni auro potiretur. Verum Glück interitum fratris summo mœrore lugebat, totamque noctem planctu explebat. Mane illucescente nullus in domo reperiebatur panis, nulla pecunia. Igitur Glück domo discessit, seque in servitium alterius aurifabri auctoravit, et ita sedulo atque affabre laboravit, totosque dies solidos satagendo exigere solitus erat, ut paullo post satis pecuniæ mereret, qua fratris mul-

ctam persolveret, eumque e vinculis redimeret. Oblatam a fratre pecuniam Schwartz lætus accepit, spoponditque ei aliquantum auri quod ex amne esset accepturus. At Glück id unum ab eo petivit ut proficisceretur videretque quid de Hans factum esset.

Nunc, ubi audivisset Schwartz fratrem suum Hans aquam benedictam furto sibi comparasse, ipse quoque putabat hunc modum res administrandi regi Aurei Rivi haud omnino placere potuisse, statuit se aliam, magis probam, secuturum comparandi rationem. Pecunia igitur a Glück ulterius obtenta, adivit quemdam sacerdotem improbum, qui illi aquam benedictam ultro erga pecuniam permutavit. Schwartz iam minime dubitavit rem se rite administravisse. Postridie itaque Schwartz prima luce surrexit, canistellum pane vinoque instruxit, aquam benedictam lagenæ infudit, seque itineri montes versus propere commisit. Perinde ac fratri, sibi quoque mirum videbatur fluentum glaciale in itinere offendere, atque canistello etiam cis fluentum relicto, id nonnisi maximo nisu arduoque labore transfretare quibat. Cœlum quidem nullis nubibus erat obrutum, omnino sudum tamen non erat, nam leves vapores purpurei suspensi videbantur, regionique impendére, unde caligo quædam colles obscurabat; atque ut Schwartz arduam semitam per saxa superare conabatur, sitis ei, ut fratri ante, suboriri cœpit, et quam levatá ad

labra lagenulá extinguere pergebat. Tum puellum flavis comis in rupe prostratum prope se animadvertit, qui flens et gemens aquam ab eo flagitavit.

"Aquamne? sane quidem," respondit illi Schwartz, "quum ne dimidio quidem satis vel pro ipso me habeam!" ac processit.

Inter eundum radii solis sibi sensim languescere videbantur; et sub idem tempus ex occasu solis atram nubem emergere cernebat. Dein iter per alteram horam prosequitur, ubi iterum sitis eum urgere inciperet, iterumque iam lagenulam ad labra levaverat, quum senem trans semitam suam iacentem et aquam flagitantem offendit. "Aquamne? ais tu? quum ne dimidio quidem satis mihi ipsi habeam," ei respondit et ire perrexit.

Tum lumen ante oculos suos obscurari sibi videbatur; levat oculos, et, ecce vapores sanguinei coloris solem obnubilabant, moles autem nubium atrarum in summam altitudinem subvolvebantur, quarum extremæ oræ tamquam fluctus turbulenti maris fluctuare, et inter se pugnare videbantur. Umbræ earum diffusæ semitam Schwartz lugubribus tenebris obruebant.

Porro alteram horam Schwartz sursum repebat, quum fratrem suum Hans, transversum semitam suam iacentem et exhaustum sibi videre videbatur; atque ut prostratum eius corpus contuebatur, is ambo

brachia ad se tollebat, et aquam supplex flagitabat. "Ha, ha," risit Schwartz, "tune illic es? Memineris vincula, mi puer? Aquamne revera? Num tu aquam me ex tanta longinquitate gratia tui supportasse arbitraris?" His verbis prostratum corpus transgreditur; tamen, ut progreditur respectat, et circa labia huius indicium singulare tamquam ludibrii se vidisse autumabat. Itaque, quum iam aliquot ulnas profectus esset, respexit, nec figura sui fratris amplius ibi videbatur.

Denique subitaneus horror supervenit Schwartz, rationem cuius rei atque causam nesciebat; tamen fames auri metum eius superavit, ac progredi perrexit. Tum convoluta moles atrarum nubium in medium cœlum se attolit, quæ mox spiralia fulgura eructari cœpit, interque horum emicationes undæ caliginis per universum cœlum consurgere, atque huc et illuc ferri videbantur. Locus autem cœli ubi sol occumbebat, in planitiem erat divexus, speciemque lacús sanguinei referebat. Interim etiam ventus vehemens ex ea cœli plaga exoriebatur, qui oras nubium coccineas in floccos discerpebat, et in cœcam caliginem dispellebat. Quum vero Schwartz in pinnaculo Aurei Rivi consistebat, undæ huius erant atræ tamquam tempestuosæ fulgurantesque nubes, spumæ vero tamquam prunæ. Quum vero ipse lagenulam fluvii iniecit, simul mugitus aquarum ex imo, boatus

autem tonitruum desuper in unum concurrerunt. Vix ipse hoc perfecerat, quum fulgur ante oculos eius coruscabat; tum terra fatiscit sub pedibus eius, atque aquæ eiulatum eius deglutiverunt. Tum gemitus amnis in noctem sæve accrevit, ut eædem persultabant

DUOS NIGROS LAPIDES.

CAPUT V

Quemadmodum parvulus Glück iter ad Aureum Rivum susceperit, et quam prospere illic res gesserit; cum aliis rebus scitu dignis.

QUUM Glück post diuturnam exspectationem intellexit Schwartz reversurum non esse, animo admodum contristatus est, nec quid sibi facto opus esset scivit. Iam nunc pecuniam habebat nullam, necessarium igitur iudicabat ad aurifabrum iterum redire, seque auctorare. Hic eum durius habuit, laboribusque, exiguá datá pecuniá, obruit. Itaque post unum mensem vel duos, hoc labore nimis arduo pertæsus, statuit fortunam suam cum Aureo Rivo tentare. "Parvulus ille rex," cogitabat secum Glück, "valde benignus erga me videbatur. Nec mihi persuadere possum futurum ut me in lapidem nigrum convertat." Proinde adivit suum parochum qui illi primum quam petivit, aquam benedictam impertivit. Tum Glück aliquantum panis, lagenamque aquæ canistello imposuit, ac postridie prima luce iter aggressus est.

Quodsi fluentum glaciale fratribus suis ingenti obstaculo fuit, huic etiam vicies tantum incommodi obiecit, quippe qui nec viribus par illis erat, neque versando in montibus adeo erat exercitatus. Eo in itinere Glück sæpius male lapsus concidit, etiam canistellum amisit, atque sonitus quoque aquarum sub glacie ruentium magno timore eum affecit. Adversa ripá potitus, in gramine illic decubuit, longamque cepit quietem, ac tunc demum in clivo sursum serpere inchoavit, quum et fervor diei molestissimus esse cœpit. Spatium unius horæ emensus est scandendo quum sitis eum vehementer urgere cœpit, atque iam bibere paravit, quum pappum quemdam in semita ante se deorsum itare animadvertit, isque sibi admodum debilis lassusque videbatur, ut erat baculo innixus. "Filiole," affatur eum senecio, "siti confectus langueo, da mihi pauxillum ex ea aqua." Conversis in eum oculis, quum Glück intelligeret eum fessum esse ac pallore perfusum videret, lagenulam his verbis ei porrexit: "Modo, te obsecro, cave totum hauseris." At senecio magnos duxit haustus, atque lagena reddita duas tertias erat vacua. Pappus multa gratiá persolutá felix ac prosperum ei precatus est iter; tum Glück lætus viam prosequitur. Dehinc semita pedibus suis minus aspera esse videbatur, quin et binæ ternæque herbæ quoque sub oculos inciderunt, atque a latere tumuli etiam cicadæ cantillare audiebantur, et

Glück tam lætam cantilenam se nunquam antea audivisse existimabat.

Interea iam etiam alteram horam itando explevit, quum sitis iterum ingravescere minitabatur, ita ut iam denique sibi bibendum existimaret. Vix tamen lagenam ad labia attolit, quum ecce iuxta viam pusillum animadvertit puellum siti halitantem, ac pro aqua suppliciter flagitantem. Animo non parum perturbato Glück paulisper anceps hæsit, tamen cogitabat secum sitim se paulisper ferre usque posse; itaque lagenulam labellis pueri applicat, et puellus præter paucas guttas totam aquam hausit. Potu refectus pusio lætus in eum renidebat, tum surgens, redditá gratiá, per semitam deorsum cucurrit. Glück eum oculis sequebatur, dum ille diminui, ac tam exiguus cœpit fieri quam minutula stella; tum conversus iter suum lætus prosequebatur. Deinceps in rupibus varia genera fragrantium florum comparere videbantur, muscus virens cum stellatis flosculis punicei coloris, gentianæ cum campanulis mollibus, ac magis cæruleæ quam cœlum quum maxime cæruleum, ac, denique, pura et pellucida lilia candida arida saxa vestire cœperunt. Cæterum papiliones coccinei ac purpurei huc et illuc volitabant, cœlum vero tam purum lumen diffundebat, ut Glück se magis beatum quam unquam in sua vita arbitraretur.

Attamen quum iterum aliam horam itando ex-

pendisset, sitis tantopere eum molestavit, ut iam non toleranda videretur; quum vero lagenulam contueretur, vidit in ea vix senas guttulas contineri, nec bibere audebat. Ut vero lagenulam iterum appenderat cingulo suo, conspicatur in rupe caniculum auram captantem, — prorsus eodem modo quo Hans hic ascendens eundem viderat. Glück substitit ut eum propius contueretur, unde et Aureum Rivum, vix quingentas abs se ulnas dissitum, lustrare poterat, ex celso supra se, leni murmure cadentem. Nunc in mentem ei venerunt verba pumilionis, 'neminem successurum nisi primo tentamine,' proinde tentabat canem præterire, sed ille tam misere gemebat, ut Glück iterum consisteret. "Misellum animalculum!" inquit Glück, "extinctum id reperero reversurus, nisi nunc illi subveniam." Hinc accuratius caniculum contuetur, quum oculi eius tantá mœstitiá in se erant conversi, ut diutius ferre non posset. "Dii perdant et regem et aurum eius," fatur Glück, quibus dictis lagenulam aperit, et totam quæ supererat aquam, ori eius infudit.

Canis confestim consurgit, se in posteriora crura erigit. Cauda eius evanescere, aures plus et plus elongari, sericeæ, aureæ fieri; nasus rubescere, oculi micare; in tribus minutis secundis canis evanuit, coramque Glück priscus amicus, rex Aurei Rivi stetit.

"Gratiam tibi habeo!" fatur monarcha: "noli

terreri, probe se habent omnia;" nam Glück suum terrorem celare non poterat, audito ad sua postrema verba responso. "Quare non ante venisti?" prosequitur pumilus, "loco tuos scordalos mittendi fratres, locoque molestiæ illos in lapides vertendi? Cæterum illi, profecto, materies fuerunt durissimorum lapidum."

"Quin, obsecro," refert Glück, "reverane tam crudelis fuisti?"

"Crudelis?" quæritat pumilus, "illi aquam non benedictam amni meo iniecerunt; num tu existimas me id concessurum?"

"At," inquit Glück, "mi here, vel potius, tua Maiestas, pro certo scio e baptisterio ecclesiæ eos aquam obtinuisse."

"Verosimile est," ait rex: "verum," severiori vultu prosequitur, "aqua, quæ lassis moribundisque flagitantibus negata est, profana habetur, etiamsi omnes sancti, qui cœlum incolunt, ei benedixissent, ea autem, quam sacrum misericordiæ vas continet, etiamsi cadavera eam polluissent, sacra habenda est."

His dictis pumilus proclinat, liliumque quod ad pedes eius e solo crevit decerpit. In foliis huius candidis tres guttæ purissimi roris micabant. Pumilus has guttas in lagenam quam Glück in manu tenebat incussit. "Has fluvio iniicies," inquit, "ac tum ex adverso montium latere in Vallem Thesaurorum descendes. Itaque bene ambula!"

Figura pumili usque loquentis evanida fieri cœpit. Clari tunicæ eius colores in languidum ac roscidum vaporem, adinstar Iridis, pedetentim dissolvebantur. Sic paulisper stabat his, instar amplis laciniis arcus cœlestis obvolutus et amictus. Colores interea sensim dissipabantur, vapores pedetentim in sublimem aerem ascendebant, ac, tandem, monarcha penitus evanuit.

Post hæc Glück ascendit in pinnaculum Aurei Rivi, cuius undæ crystallinæ erant claritatis, et tamquam sol fulgebant. Quum ipse tres roris guttas fluctibus iniecit, eo loco quo hæ inciderant modicus gurges oriri cœpit, quo aquæ undique confluere, dulcique modulamine influere cœperunt.

Glück aliquamdiu illic observabundus stabat, spe perquam deceptus, quod non modo aquæ in aurum non mutabantur, verum etiam sensim decreverunt. Verumtamen dicto pumilionis, amici sui, audiens, ex adverso montis latere Vallem Thesaurariam versus lente descendit. Inter eundum audire sibi videbatur quemadmodum aquæ subter pedes suos in cavernas terræ viam sibi patefacerent. Quum vero in conspectum Vallis Thesaurorum venerat, ecce, novus rivus, Aureo Rivo similis, e cavo, supra se, manabat atque innumeris scaturiginibus in medio cumulorum arenæ rubentis decurrebat.

Adspectante Glück novæ herbæ, novum gramen,

novaque vineta secundum novas scaturigines germinare ac pullulare et in diversas partes per solum repere cœperunt. Secundum ripas fluvii, haud aliter quam stellæ crepusculo augescente, subito recentes flosculi emerserunt, tum myrtorum virgulta, surculi et pampini vitis umbris suis crescentibus vallem sensim obdere inchoarunt. Sic itaque Vallis Thesaurorum pedetentim in hortum mutabatur, atque patrimonium, quod crudelitate amissum erat, charitate reparabatur.

Proinde Glück processit in vallem, ibique sedes fixit, nec egentes unquam a foribus eius vacui recesserunt abacti. Itaque granaria sua pedetentim frumentis, domus thesauris compleri cœperunt. Atque sic, quemadmodum pumilus promiserat, amnis, sibi dumtaxat, Aureus Rivus factus est.

Ad nostra usque tempora incolæ eius vallis ostentant eum locum ubi tres illæ sacræ roris guttæ in profluvium iactæ sunt, perinde atque cursum Aurei Rivi subterraneum, ubi is in apricum prorumpit in Vallem Thesaurorum. Ad caput autem cataractæ Aurei Rivi duo *Lapides Nigri* usque visuntur, circum quos aquæ quovis occasu solis sævo murmure præterlabuntur, atque hi lapides ab incolis eius vallis usque vocantur

FRATRES NIGRI.

DOMVS ATQVE MENS

DOMUS ATQUE MENS.

AMICUS quidam meus homo litteratus atque philosophus, quodam die, velut iocum inter atque serium, sic me affatur: "Finge modo tibi! ex quo te postremo conveneram, domum reperi medio Londino infestam."

"Quid ais? Itane revera? — et quanam re — lemuribus?"

"Ehem, idgenus quæstionibus respondere nequeo; dicam quæ scio: senis ab hinc septimanis ego et uxor contubernium[1] instructum quæritabamus. Transeuntes vicum quemdam tranquillum, in fenestra cuiusdam domus notitiam conspicati sumus "Contubernia Instructa." Situs nobis conveniebat; ingredimur domum, cubicula placent, conducimus ea septimanario,[2] triduo deserimus. Ad ulterius morandum uxor nulla

1. Quæcunque domus, in qua plures inquilini habitant; unum quodque horum habitaculorum.

2. Per septem dies, adverbium.

potestate humana permoveri potuisset; nec ego miror."

"Ecquid vidisti?"

"Ignosce sis; derideri tamquam superstitiosus somniator nolo, nec, vicissim, abs te postulandum arbitror ut mea fide tamquam verum accipias quod tibi incredibile videri necessario debeat, nisi testimonia tuorum sensuum in evidentiam accedant. Sufficiat hoc solum dicere: non adeo ea fuerunt quæ vidimus vel audivimus in quibus rebus iure putaveris nos excitata phantasia deceptos, sive vero aliorum fraude falsos fuisse quæ nos in fugam egerunt, sed potius terror quidam ineffabilis, qui nos, quoties ianuam cuiusdam cubiculi supellectilis vacui præteribamus, ubi nec vidimus nec audivimus quidquam, obsedit; quocirca maxime mirum erat ut uxori meæ, stulta ut sit, semel in vita mea assensum negare non poteram, nempe, ut expletis tribus noctibus in eadem domo quartam non exigeremus. Quarto igitur mane mulierem, quæ domum curabat, nobisque serviebat, accersivi, certioremque eam feci cubicula nobis minime convenire, ideoque nec septimanam nos explere velle. Ipsa nihil mota, "Scio quare," inquit, "omnibus aliis inquilinis vos diutius perseveravistis. Pauci hic admodum secundam noctem exegerunt, ante vos tertiam nemo. Sed existimo eos erga vos humanissimos exstitisse."

"Quid? eos? — Quosnam?" quæro risu simulato.

"Eos utique intelligo, quicunque ii sint, qui domum infestant; nullius pensi eos habeo; eorum e multis annis memini, quum in hac domo non ut famula habitavi, nec ignoro, aliquando futurum esse ut iidem mortis meæ auctores sint. Iam nihil curo — utique sum iam senex, serius aut tardius mihi moriendum esse scio; ac tum iterum cum iis ero, et in hac eadem domo." Tam mœsta tranquillitate mulier loquebatur ut, profecto, formido quædam obstabat quominus cum ea amplius colloqui prosequerer. Soluto itaque locario septimanæ, ego et uxor fortunatos nos existimavimus quod tam vili nos redimere poteramus."

"Quin tu me magis curiosum reddis," refero illi, equidem ego nihil mallem quam in domo infesta pernoctare. Velis, rogo, eius domus, quam tu tam turpiter deseruisti, situm indicare."

Titulo sitús ab amico impetrato, simul atque invicem valedixeramus iter meum rectá domum versus indicatam flexi.

Ea in vico septemtrionali Viæ Oxoniensis, loco haud illustri, sed honesto, sita est. Domum prorsus occlusam, sine notitia in fenestra reperi, nec pulsanti mihi responsum datum est. Ut me verto, puer cælia-

rius,[1] qui culignas stanneas ab emptoribus suis colligebat, me affatur: "Quemquamne ex ea domo vis, mi Here?"

"Volo, sane, mi ephebe; fando enim audivi eam ad locandum prostare."

"Ad locandumne? Hem, mulier quæ eam curabat obiit; iam e tribus septimanis mortua est, nec quisquam ad ibi habitandum reperiri potest, quamvis herus I — præmium obtulerit munificum. Matri quoque meæ, quæ illi servitia diurna præstare solet, obtulit libram unam per septimanam ut modo fenestras aperiret et clauderet, sed ipsa renuit."

"Renuit? et quamobrem?"

"Domus infestatur; atque curatrix in lecto suo, oculis apertis reperta est mortua. Eam eiunt a diabolo esse laqueo peremptam."

"Va! Sed tu herum I — memoravisti; estne ipse eius domús dominus?"

"Ipse est."

"Ubinam is habitat?"

"Via G —, sub numero —."

"Quidnam ipse est? — ullumne negotium agitat?"

"Nihil admodum, vir privatus est."

1. Cælia est potus Anglis gratus, qui ex hordeo atque humulo elixatur, vel braxatur. Puer dein ad emptores circuit, vasaque, in quibus cælia vendita erat, colligit.

Puero coronidem[1] præbui suæ liberali indicationi debitam, tum iter herum I — versus, viá G — converti, quæ via quidem ad illam erat prope, in qua stabat domus infesta. Pro bona mea fortuna herum I — domi suæ offendi, virum ætate provectiorem, intelligentiá commendabilem, moribusque integrum.

Nomen meum negotiumque ei ingenue aperui. Docui eum me domum eius infestam esse audivisse, mihi in votis esse domum ita infamatam examini subiicere, et eo proposito domum vel pro une nocte conducere. "Here mi," refert ille, eximia civilitate, "domum ad usum tuum permitto ad tam breve aut tam longum tempus quam tibi libuerit. Locarium prorsus præter rem est; quin gratum existimabo si causam tam sinistrorum eventuum, qui eam pro præsenti omni valore privant, erueris ac declaraveris. Locare eam non possum, quum ne vel famulum quidem conducere queam qui eam curare, aut ostio attendere velit. Pro mala fortuna domus infestatur, si ita loqui fas est, non de nocte tantum, verum et interdiu, licet tumultus nocturni sint infaustiores, quin et horrifici. Misella anus quæ ibi tribus ante septimanis mortua est, egena e ptochotrophio erat, quam ego domui præfeci, utpote quæ in iuventute quibusdam

1. Est pecunia quam alicui non debitam, sed ex grato animo damus.

membris familiæ nostræ nota erat et ita prospera, ut a patruo meo eam domum sibi conduxisset. Mulier ipsa satis culta, et ingenio firma, solaque fuit quæ permoveri posset ut in ea domo perseveraret. Revera, ex quo ipsa mortua est, et quod sua mors subitanea erat, ac propter examen ab inquisitore mortuario institutum, quod in vicinitate percrebruerat, omnem spem reperiendi aliquem qui curam domûs susciperet, nedum qui conduceret, plane deposui, et hoc adeo, ut domum pro anno, sine omni locario, libenter permittam ulli, qui modo vectigalia, cæterosque sumptus suscipere non recusaverit."

"E quonam tempore hæc domus ita infamata est?"

"Id vix dicere queo; sed certe e longo tempore. Anus illa quam tibi memoravi, iam tum retulit mihi quum primum conduxit eam infestam esse, circiter triginta aut quadraginta ab hinc annis. Ego profecto vitam meam in India Orientali egi, et quidem in servitio ipsius East India Company. In Angliam anno superiori redii hæreditatem patrui mei aditurus, quam quum adivissem, hanc domum reperi partem eius esse. Eam occlusam ac desertam reperi. Relatum mihi est infestam eam esse, nec quemquam eam incolere velle. Famam risu excepi, quod ea mihi tam absurda videbatur. Aliquantum pecuniæ insumpsi novum illi tectum imponendo, antiquæ supellectili novas quas-

dam res addendo, tum per præconia nactus sum inquilinum in unum annum. Chiliarchus is erat emeritus dimidio stipendio. Is cum sua familia, uno filio unaque filia et quinis aut senis famulis eo immigravit; postridie ad unum omnes domum deseruerunt; atque quamvis singuli eorum aliud et aliud quid se vidisse asseruissent, tamen ea singulis æque erant terribilia. Salva conscientia chiliarchum non modo tenere stipulatione, sed ne vituperare quidem poteram. Tum domum memoratæ vetulæ commisi, facultate concessa partes domús ut contubernia locandi. Nunquam mihi contigit inquilinum, qui ultra tres dies commoratus esset, obtinere. Historias eorum tibi non memorabo; nullis enim duobus unquam eadem eventa aut visa obversata sunt. Satius erit rem tibi ipsi experiri, quam ut præiudiciis obrutus et obsessus domum intres; tamen ad videndum audiendumque aliquid esto paratus, dabisque operam ut securitati tuæ prospicias."

"Nunquamne tibi tanta curiositate duci contigit ut noctem in ea domo exigeres?"

"Quin ita contigit; non noctem quidem, sed tres horas plena luce solus in ea domo permansi. Curiositas quidem mea non expleta, sed restincta est. Nullo desiderio teneor experientiam renovandi. Ut vides, iure haud poteris conqueri quasi non aperte tecum egerim; atque, mi Here, nisi maximo desiderio rem

periclitandi ardeas, et nisi corde sis fortissimo, impensissime tibi suadeo, ne in ea domo pernoctes."

"Quin perquam ardeo," respondi. "Ignavi soli de fortitudine in discriminibus sibi ignotis gloriabuntur; at mea audendi facultas tantis ac tam variis vicissitudinibus est probata ut iure confidam illi me in ipsa adeo domo infesta concredere posse."

Herus I — amplius parum dixit; promit claves domús e foriculo scriptoriæ easque mihi tradit; tum gratiis ob suam in me voluntatem atque civilitatem actis, præmio meo potitus discessi.

Moræ experiendi impatiens, simul ac domum perveni, fidum meum famulum accerso — iuvenem hilaris ingenii, metús ignarum, superstitionum terriculamentis tam immunem quam unquam videram.

"Nonne F —" alloquor eum, "meministi quemadmodum in Germania ægre tulerimus in eo vetusto castello spectrum nos non reperisse, quod vulgo ferebatur sine capite castellum infestare solitum? Modo autem de domo audivi Londini, quam iustissimis e causis licet mihi revera infestam credere. Mihi in animo est hodie illic pernoctare. E relatis minime dubito ibi aliquid visui aut auditui se oblaturum — aliquid quod maxime horribile fieri possit. Existimasne, si te accersivero, tuæ fortitudini animique præsentiæ, quidquid demum eveniat, me concredere posse?"

"O, mi Here, mihi fidas, obsecro!" albis ridens dentibus respondit.

"Placet; ergo hic sunt claves domús, en titulus. I nunc, selige mihi arbitratu tuo cubiculum; et quoniam domus per septimanas inquilinis fuit vacua, suscitabis commodum ignem, ventilabis lectum, videbisque ut candelæ calæque[1] non desint. Ferto tecum etiam sclopellum[2] meum atque pugionem — hæc quidem quoad mea arma; tute quoque bene armabis; et tum si duodenos lemures non æquabimus, nihil nisi mœstum par Anglorum, et merito, habebimur."

Per reliquam diei partem negotiis moram non patientibus ita eram occupatus, ut tempus de futura experientia nocturna cogitandi haud mihi suppeteret, cui tamen nomen honoremque meum devoveram. Solus eo vespere, et hoc tarde, cœnavi, ac more meo simul etiam lectitavi. Libellus quem ad id elegeram erat volumen tractatuum Macaulay. Hunc libellum mecum ferendum cogitavi, quum et stylus esset sanus, et materia substrata ex iis rebus quæ in vita usui essent, ideoque eo ut antidote contra phantasmata utendum iudicavi.

1. Ligna, ad suscitandum ignem.

2. Arma iaculatoria, minora, quæ plerumque in sacculis, aut in vaginis coriaceis geruntur; est Latinitas moderna. Derivatur autem vocabulum e Romano *scloppo, -are*, sonus displosionis, unde Latini Medii Ævi, post inventos pulveres pyrios, arma iaculatoria militum *sclopetum* nominaverunt.

Proinde circa nonam cum dimidia volumen in sacculum recondidi, otioseque domum versus infestam spatiari cœpi. Accivi mecum et canem mihi charum, audacem admodum et vigilem, cui moris erat nocturnis temporibus in vicis desertis, in angulis et angiportibus formidolosis mures et glires venari. Cæterum canis erat omnium canum ad venandum spectra aptissimus.

Nox æstiva erat, sed alsa, cœlo aliquantum nubilo ac tristiori; nec luna aberat — languida et ægra, tamen luna; et, siquando nubes siverunt, post mediam noctem, lucidior.

Pervenienti mihi ad domum et pulsanti famulus lætus leni risu ostium aperuit.

"Prospere cuncta, mi Here, et commode."

"O!" respondeo ego fere ægre, "nihilne insoliti audivisti aut vidisti?"

"Hem, necesse est ut fatear me aliquid curiosi audivisse."

"Equid? dic, quidnam?"

"Sonum pedum pone me gradientium, et semel iterumque veluti susurrum ab auribus haud procul; præterea nihil."

"Conterritus tamen non es?"

"Minime quidem, mi Here!" Atque audax hominis aspectus de una saltem re certiorem me reddidit, quidquid nempe eventurum esset, non me deserturum.

Nunc in ambitu eramus, ostium vero erat clausum. Attentionem meam canis meus sibi vindicabat. Primum quidem satis alacriter cucurrit introrsum sed pedes suos mox furtim ad ostium retraxit, atque scalpendo, voceque flebili sibi aperiri petivit. Postquam palpando ac mulcendo eum in gratiam reduxi, fato reconciliari videbatur, meque et F — sequebatur per domum, sed loco prorsum currendi et indagandi, ut mos ordinarius ei in cunctis locis peregrinis erat, pone calces meos se continebat. Primum subterna contubernia, culinam, officinas, præsertim autem cellaria inspectum descendimus. Hic tres lagenas vini reperimus in cista telis araneæ obtectas, quæ ex aspectu multis annis ante illic relictæ esse parebant. Lemures a vino abstemios fuisse satis erat clarum. Cæterum nihil, quod ullius esset momenti ibi reperimus. In postico erat areola, altis muris septa. Lapides in ea perquam erant uvidi. Quocunque in his uvidis lapidibus in pulverulento, muscoso ac fuliginoso pavimento gressi sumus, vestigia levia reliquimus. Ac nunc hic prima insolita visio apparuit, quam in hac curiosa domo cernere mihi contigit. Prorsus ante me subito vidi vestigium per se formari, quasi nullá causá. Subsisto, contrecto famulum, illique vestigium indico. Ante illud vestigium alterum æque celeriter imprimebatur. Ambo spectavimus. Cito eo me confero; vestigia ante me gradiebantur; quod-

que eorum parvum erat, parvæ prolis instar, tam indistinctum tamen, ut forma cuiusque accuratius vix distingui posset, utrique tamen nostrum nudo pede videbantur esse impressa. Visio hæc cessavit quum ad murum adversum pervenimus, nec nobis revertentibus repetita erat. Superatis gradibus conclavia in pedeplano intravimus — triclinium grandius, eius posticum, velut exedram, atque tertium cubiculum parvum, fortasse pro pedisequo — cuncta ut mors silentia. Hinc in exedram nos contulimus, quæ nova ac recens erat. In anteriori conclavi in artisellio consedi. F — candelabrum cum ardenti candela, quæ nobis lumen suppeditabat, in mensam collocavit. Dein fores eum claudere iussi. Ut se id facturus verterat, sella, e regione mihi, celeriter, sed silentio, se a pariete movebat, vixque ternis pedibus a mea, directeque ex adverso, sese deposuit.

"Eheu," inquam, "hoc certe plus valet quam versationes mensarum," cachinno eventum prosecutus, dum me ridente canis, sublato capite ululare cœpit.

F — revertens motum sellæ non animadvertit. Nunc cani pacando operam dabat. Ego ulterius sellam intuebar, mihique in ea lineamenta pallidæ, lividæ speciei humanæ videre videbar; at lineamenta tam erant indistincta, ut propriis oculis diffiderem. Canis nunc quietus erat.

"Repone, sis, sellam mihi adversam," rogo F —, "et ad parietem fac colloces."

F — fecit quod issui. "Tune, mi Here, id fecisti?" quærit cito se ad me vertens.

"Egone? quidnam?"

"Hem, aliquis me percussit. Sat acriter sensi, hic in humero."

"Non ego," inquam; sed præstigiatores hic nobiscum habemus; et licet technas eorum non perspiciamus, deprehendemus *eos* antequam *nos* perterreant."

In exedra haud diu morati sumus, quoniam, profecto, aura tam erat humida et algida, ut satius haberem in diætam ad locum ascendere. Ianuam exedræ obseravimus, quod quidem iuvat memorare, in singulis conclavibus quæ in pedeplano perscrutati sumus, perfecimus. Cubiculum quod famulus mihi elegerat, in ea contignatione optimum fuit; bene enim spatiosum erat, duasque habebat fenestras in viam patentes. Lectus fulcris sursum prostantibus satis magnum spatium cubiculi explebat, obversusque stabat foco, qui clarus lætusque flagrabat. Ad lævum ianua patebat lectum inter et fenestram, ingressus cubiculi quod famulus sibi elegerat. Cæterum istud cubiculum angustius erat, cum grabato pro lecto, alioquin id nulla ianua cum ambitu iunxit, nec alium habebat ingressum quam qui in meum cubiculum duce-

bat. Ab utroque latere foci calicularia[1] stabant sine seris, parieti applicita, chartaque eiusdem coloris obducata. Calicularia hæc sedulo inspeximus; nihil in iis erant nisi unci ad pendenda indumenta muliebria. Pulsavimus parietes; manifeste solida omnia, hi enim parietes muri erant domûs. Indagine hac cubiculorum finita, paulisper me refocillavi, tum vero convolvulum[2] accendi, et ab F— iterum comitatus, prodivi ad examen prosequendum. Ad caput graduum erat alia ianua, quæ firmiter erat obserata. "Mi Here," affatur me famulus stupens, "hanc ego ianuam, primum quam intraveram, cum cæteris unà reseravi; certe ab interiori obserari non poterat, nam —"

Antequam sententiam finivisset, ianua, quam neuter nostrum tunc attrectabat, sua sponte, silenter aperiebatur. Nos invicem intuebamur. Idem cogitatum utrumque nostrum incessit, humanum hic interventum autumari ac reperiri debere. Primus ego irrui, famulo sequente. Cubiculum erat parvum, inane ac desolatum, sine supellectili, cum aliquot cistulis et æronibus in angulis, exigua fenestra contabulata — ne focus quidem — nulla alia ianua nisi qua ingressi

1. Est supellex calicum, h. e., ubi pocula, lagenas, omnem apparatum vitreum pro mensa recondi et contineri solet. Hic de armario, sive vestiario accipitur.

2. Moderni Latini sic vocant nicotianam, vulgo *tabaccam*, in speciem digiti convolutam.

sumus, nullæ tapetæ in constrato, constratum vero erat vetus, iniquum, cariosum, passim resartum, quod ex albicantibus frustis tabularum insertis facile constabat; at nihil vivi, nec ullus loculus ubi quidquam vivi sese facile occulere posset. Ut ibi circumspectantes stabamus, ianua, qua intraveramus, æque silenter claudebatur, quam antea aperta erat, nos autem captivi facti sumus.

Nunc primum horror ineffabilis artus meas pervasit. Non sic meo famulo. "Certe non iis in animo erit sic nos capere, mi Here; ianum istam cariosam uno ictu calcis perfringam."

"Tenta sis primum manu, utrum cedat," suadeo, vaga illa formidine discussa, quæ paullo ante me occupaverat, "interea dum tabulaturam fenestræ resero, quidque foris sit videro."

Apertis tabulis reperi fenestram in aream posticam spectare, quem antea descripsi; nullum erat pinnaculum, nihil prorsus nisi murus ad perpendiculum. Nemo qui illic descensum tentasset, antea quam pedes lapidibus areolæ illisi fuissent ullum reperissent sustentaculum.

F — interim ianuam aperire frustra tentabat. Nunc ad me conversus facultatem petivit vim tentandi. Commemorare hic iuvat in iustitiam erga famulum, tantum ab eo omnem pavorem superstitiosum abfuisse, ut sua intrepiditas, tranquillitas, præ-

sentiaque animi in vicissitudine tam ardua in sui me admirationem raperent, mihique gratulabar comitem mihi reperisse qui discrimini omni prorsus par esset. Facultatem petitam libenter ei concessi. At vero, quamvis ipse viribus multum posset, suum hoc tentamen æque futile erat quam leniora ante. Ianua ne tremebat quidem, fortissime ut ipse calcibus tutudisset. Lassus et anhelus destitit. Tum ego eam impetivi, æque frustra. Ubi a vano conatu et ego cessavi, ea ipsa formido mihi obrepere cœpit, verum nunc algidior et contumacior. Sentire opinabar quemdam insolitum funebremque halitum e rimis tabulati emanare, vique quadam virulenta, et humanæ vitæ pestifera auram saturare. Nunc ianua veluti sua sponte, silenter pandi cœpit. Nos ad caput graduum ruimus. Lumen quoddam languidum ambo conspeximus — ad magnitudinem staturæ humanæ, sed informe et insolidum — præ nobis moveri, et gradus ascendere, qui hinc ad subteglinum ducebant. Ego secutus sum lumen, famulo comitante. Ad rectum a capite graduum visio intrabat pusillum cubiculum subteglini, ianua cuius patebat. Ictu oculi et ego intravi. Tum lumen in globulum corruit perquam fulgidum ac vividum; paulisper super lectum conquievit in uno angulo, tremebat paulisper, tum evanuit. Accessimus ad lectum, eum perscrutati sumus — erat autem semivelarius, ut in subteglinis, ubi cubicula famulorum

sita esse solent, plerumque reperitur. Super arculam iuxta positam animadvertimus obsoletum et discolor sericeum arsineum,[1] acu usque in fissa parte hærenti, e dimidio reparatum. Arsineum pulvere erat obsessum; illius fortasse quondam anús, quæ postrema in ea domo mortua est, et hoc suum esse poterat cubiculum. Satis mihi curiositatis ad evellendum foriculum suppetebat. In eo variæ næniæ muliebres latebant, ut particulæ telæ et munditiarum, duæque epistolæ discolori vittula flavida colligatæ. Audendum censui epistolas in meam redigere potestatem. Nihil amplius notitia dignum in cubiculo reperimus, nec lumen iterum comparuit; sed quum discessuri nos converteramus, in tabulato ante nos sonum pedum gradientium clare ac distincte audivimus. Dein cætera tria cubicula subteglini pertransivimus, gressibus continuo nos præcedentibus. Visui nihil, sed crepitus gressuum auditui se obtulit. Epistolas manu tenebam; et ubi per gradus descendebam, carpum mihi prehendi, lenique conatu litteras mihi subduci velle satis clare sensi. Tanto, utique, arctius eas tenui, quo facto conatus ille cessavit.

Pedetentim pervenimus ad cubiculum pro me selectum, ubi animadverti canem non nos secutum, sed in loco suo permansisse. Is se ad focum arcte con-

1. Est tegumentum capitis mulierum, quod domi gerere solent.

traxit, et continuo tremebat. Acris me cupido litterarum legendarum tenebat; et dum legendo eram intentus, famulus cistellam, in qua arma nobiscum allata continebantur, mensæ, prope ad caput lecti mei apposuit, tum ad sedandum canem se convertit, qui tamen eum parum videbatur curare.

Litteræ breves erant, tempora dati assignata — accurate quinis et tricenis ex hinc annis. Manifestum erat eas scriptas fuisse ab amasio ad amicam, aut a marito ad iuvenem uxorem. Non modo genus dicendi, verum etiam prioris itineris maritimi commemoratio satis clare prodidit auctorem nauticum fuisse. Ratio verba litteris exprimendi ostendebat scriptorem non diligenter institutum fuisse; lingua tamen qua utebatur firma et agens erat. Verba dulciora amasii genus spirabant agrestis ferique amoris; at hic et illic non amoris sed fortasse criminis arcanum obscure innuere parebant. "Nos invicem amare deberemus," erat sententiarum, quarum usque memor sum, una, "nam quantopere quisquam nos exsecraretur si cuncta nota essent." Porro: "Noli pati ut quisquam tecum unà noctu in eodem cubiculo sit — loqueris enim in somnio." Dein: "Factum infectum reddi nequit; ego autem aio tibi nihil contra nos subesse, nisi mortui in vitam redire queant." Hic, manu subtiliori, fœminea, interscriptum erat, "Queunt autem." In postrema epistola, quæ secundum tempus erat ul-

tima, eadem manus fœminea hæc verba adscripsit: "In mari interiit quarto Iunii, eodem die quo —"

Depositis litteris, de earum tenore mecum meditari cœpi.

Sed quum vererer ne cursus cogitationum in quem lapsus sum constantiam animi labefactaret, statui mecum claritatem mentis meæ restaurare, ut quæcunque mira nox imminens latura esset, iis occurrendo par essem. Postquam ergo animum suscitaveram, litteras in mensam reposui, ignem, qui in foco usque flagrabat, fovi, volumen Macaulay evolvi, mihique anteposui. Satis commode lectitavi usque ad undecimam cum dimidia. Tunc, ut eram vestitus, in lectum me constravi, famuloque idem faciendi facultatem dedi, monui tamen eum ut vigilaret, item, ianuam inter cubicula nostra apertam eum habere iussi. Itaque nunc iam solus duas candelas ardentes iuxta caput lecti in mensa servavi, horologiolum autem e sacculo iuxta arma in mensam deposui, ac tum Macaulay placide lectitare prosequebar. E regione mihi focus læte ardebat, atque in stragulum ante focum canis postratus dormire videbatur. Vicena circiter minuta post aeris meatum perquam algidum genas meas præterlabi sentiebam. Ianuam ad caput graduum ducentem a dextro, sua sponte apertam esse arbitrabar. Minime tamen — nam erat obserata. Tum ad lævum conversus animadverto flammas can-

delarum quasi a vento violenter agitari. Eodem temporis puncto horologiolum ab armis lenissimo lapsu abscedere video — leniter, leniter — nulla visibili manu — evanuit. Prosilio in pedes, una manu sclopellum, pugionem altera prehendo, ne idem fatum sortirentur, sustuli; nolebam enim iis, ut horologiolo, spoliari. Sic ergo armatus in constrato circumspicio: nullum horologioli vestigium. Nunc tres sonoræ ac distinctæ pulsationes a capite spondæ exaudiebantur; famulus clamavit: "Tune, here pulsas?"

"Non ego; cave!"

Iam et canis suscitatus coxim sedebat, et auriculæ eius prorsum ac retorsum celeriter agitabantur. Oculos suos tam sinistro modo in me defixos habebat, ut omnem meam attentionem in se traheret. Pedetentim surrexit, omnibus pilis suis arrectis, omnibusque artubus rigore correptis, et eodem sævo intuitu stabat. At mihi nulla erat copia canem examinandi. Subito famulus meus e cubiculo egreditur; atque si unquam imaginem horroris in vultu humano conspicere mihi contigit, id tum fuit. Si ipse mihi in via occurrisset, non eum agnovissem, ita omnia vultus eius lineamenta immutata erant. Me cito præterivit, mihique in aures susurravit, quod ne de suis quidem labiis venire videbatur: "Fuge! fuge! me insequitur!" Accessit ad ianuam, eam reseravit, nactusque gradus, dilabebatur. Præter voluntatem ad caput graduum eum pro-

sequor, inclamo eum ut maneat; verum ille prehensis cancellis, ternos quaternosque gradus transiliit. Audivi ubi stabam ostium aperiri, iterumque claudi. Itaque solus eram in domo infesta.

Pro momento tantum anceps eram, utrum satius ducam famulum sequi, an perseverare. Pudor perinde atque curiositas vetuerunt quominus tam ignavum facinus perpetrem. Itaque regressus sum in cubiculum meum, ianuam pone me obseravi, atque caute intravi cubiculum famuli. Nihil ibi reperi quod iusta causa fugæ videri posset. Iterum pervestigavi parietem, utrum ulla ibi ianua occulta esset. Nullum vestigium eius reperi, ac ne rugam quidem in atrofusca charta quæ parietem tegebat. Quonam ergo modo RES ea, quidquid id fuerit, quæ eum adeo perterruerat, eò, nisi per cubiculum meum, penetrare poterat?

Reverti igitur in cubiculum meum, eá ianuá, quæ in illam cameram ducebat, obseratá, meque exspectabundum ac paratum ante focum stiti. Nunc observavi canem ut se in angulum ad parietem contulit, sese huic arcte applicuit, omnique nisu in eum penetrare tentabat. Accessi ad animalculum idque alloquor; misella bellua præ terrore manifeste extra se esse videbatur. Cunctos dentes ostentabat, ac saliva ex ore manabat, et procul dubio me momordisset si eam contrectassem. Non me novisse videbatur. Quis-

cunque cuniculum in vivario a colubro fascinatum viderit in angulo trepidantem, angorem fere sibi repæsentabit, cuius indicia hic canis exhibebat. Quum omnem conatum ad canem placandum vanum esse intelligerem, veritus etiam morsum eius in eo statu tam esse lethalem quam in hydrophobia, reliqui eum, arma mea in mensam iuxta focum collocavi, consedi, iterumque Macaulay inchoavi.

Ne eximiorem audaciæ dotem mihi vindicare videar atque constantiæ, quam lector exaggeratam possit iudicare, ignosci mihi posse arbitror, si pauca quæ philautiam[1] sapere queant, de me allegare ausus ero.

Quemadmodum, ex mea sententia, animi præsentia, sive quod fortitudo appellari solet, semper eiusdem mensuræ est cum cognitione earum rerum quæ ad exercitationem fortitudinis ducunt, sic ratum duco asserere, mihi satis diu cognita esse experimenta quæ circa mirabilia versantur. Testem enim me in variis mundi partibus mihi fuisse contigit eventorum quæ aut fidem non reciperent si narrarem, aut interventui supernaturali adscriberentur. Theoria itaque mea est supernaturale non dari, et quod supernaturale dici solet, esse aliquid in legibus naturæ, quod hactenus perspectum et exploratum nobis non est. Unde,

1. Amor sui; vulgo, *egoismus.*

si visio ante oculos meos compareat, fas mihi assere-re non est "Ergo supernaturale exsistit, vel esse pot-est," sed potius, "Ergo apparitio spectri contra et præter opinionem vulgo acceptam, est secundum leges naturæ, nec proinde supernaturalis est."

Itaque cuncta mira quorum ego hactenus testis fueram, ac, profecto, omnia quæ arcanorum amatores nostri ævi ut facta memoriæ prodiderunt, alicuius vivi interventum semper postulant. In continenti Europæ usque exsistunt magi, qui se lemures evocare posse profiteantur. Da eos id posse, tamen interventus viventis magi adest; atque ipse est is interventus viventis, a quo causa veluti quædam eventa nostris sensibus naturalibus repræsentantur.

Da, porro, quæ feruntur in America fabulæ de indiciis lemurum per quæ se manifestent, veras esse — veluti sonos musicæ, vel alios, uti scripturam in charta, factam manu invisibili, supellectilem, aut partes, moveri sine visibili interventu humano, aut verum visum, tactumque manuum, quæ corporibus plane careant — tamen medium, seu quidpiam vivi interesse debet, quod indicia hæc manifestare possit. Denique, etiamsi detur nullam intercedere fraudem, in cunctis mirabilibus necesse est ut intersit persona humana, nostri similis, a qua, sive per quam, effectus hi producantur. Idem valet de mesmerismo atque de electrico-biologia in effectibus tam pervulgata; in

quibus mens personæ, experimentis subiectæ, interventu cuiusdam vivi afficitur. Si concedimus hominem mesmerismo affectum posse respondere voluntati aut gestui mesmerizatoris, centena milliaria absentis, id nihilo secius interventu fit alicuius vivi. Fieri id potest liquido quodam materiali, sive electricum, sive quid aliud id appellaveris, quod facultate præditum sit spatia obstaculaque penetrandi, ut effectus materialis ab uno ad alterum convehatur. Hinc, quæque ego in hac domo expertus, aut experturus eram, per interventum alicuius æque mortalis atque ego effecta esse credebam; atque hæc mea persuasio oberat quominus pavore afficiar velut ii qui res non in ordinario cursu naturæ visas credunt tamquam supra naturam positas, et qui ad ita credendum eventa illius memorabilis noctis facile permoveri poterant.

Quoniam mea coniectura erat omnia quæ sensibus meis se obtulerunt, aut se oblatura erant, necessario a quadam persona humana proficisci, cuius in organis corporis vis sita esset ea efficiendi, et causam ei subfuisse quare id faceret, satis magni feci theoriam meam, quæ magis philosophica quam superstitiosa erat. Licebit etiam mihi asserere omni candore me ita semper animo fuisse compositum ad eventa observanda, ut quicunque eorum esse possit, qui intenti cuidam raro experimento chemico, sed pernicioso,

eius exitum exspectent. Utique, quo mentem meam a phantasia magis seiunctam servavi, temperamentum meum ad observationem faciendam aptius fiebat; quare oculos meos animumque in paginam Macaulay lucis diei plenam defixos servavi.

Nunc animadverti aliquid inter paginam lumenque intervenisse: pagina obumbrata fuit. Levo itaque oculos conspicioque aliquid quod vix ac ne vix quidem describi possit.

Tenebræ quædam erant, quæ se ex aere informes et incertæ evolvere conabantur. Dicere eas speciem humanam fuisse non ausim, sed potius umbram eius quam aliud dixerim assimulare. Ut hæc figura stabat, omnino diversa ac distincta ab aere et a luce circa eam, statura eius ingens esse, vertexque eius laquear attingere videbatur. Dum eam contuebar, sævus sensus algoris me occupavit. Mons glacialis ante me positus tanto algore me haud affecisset; nec frigus glaciale poterat mihi magis physicum videri. Certo mihi constabat frigus hoc non e metu ortum esse. Ut spectare pergebam, duos oculos deorsum me contuentes videre videbar — sed hoc pro certo asseverare non ausim. Quodam momento me eos clare discernere autumabam, proximo tamen iam evanuisse videbantur; sed duo radii luminis cærulei languidioris sæpius persultabant tenebras ex ea altitudine, ex

qua partim credebam, partim dubitabam oculos visui meo occurrisse.

Tentabam eloqui; vox me deficiebat. Nihil nisi mecum cogitare poteram, "Estne hic pavor? *non* est pavor!" Enitebar surgere, incassum; vis quædam invincibilis me oppressum tenebat. Is sensus me habebat quasi volendi facultati meæ ingens quædam vis obsisteret, meque penitus obrueret; conscius factus sum deficientiæ virium humanarum, quemadmodum tempestate in mari, vel coram immani bellua vires corporis humani quum deficiunt experiri liceat. Voluntati meæ alia voluntas obsistebat vi tanto superior, quanto tempestas, incendium atque cete, vi materiali superiora sunt potentiæ humanæ.

Nunc vero, quum ista conscientia in me invalescere inciperet horror — horror, quem nulla verba explicare valent, me supervenit. Satis tamen superbiæ mihi relicta est, si non audacia, qua mihi dictitabam: "Horror tamen hic est non pavor." Nisu denique supremo contigit mihi manum arma versus in mensa porrigere; hoc me agentem stringor perculit, atque manus mea imbecillis ad latus meum concidit. Tum ad horrorem accessit quod lux e candelis sensim recedere incipiebat; non quasi eæ extinctæ sint, sed flammæ earum pedetentim minui cœperunt quod idem et foco evenit, lux e flammis evanuit, et paucis in momentis cubiculum densissima caligo obruit. Ter-

ror, qui me in caligine sic relictum supervenerat cum ea re opaca, cuius potestatis tantopere eram conscius, novam suam vim mihi impertivit. Eo iam profecto ventum erat, ut aut sensus ac rationem me deficere oporteret, aut vero vincula fascini ipse rumperem. Rupi autem ego. Et vocem reperi, licet vox ea vagitus fuerit. Memini huiuscemodi verbis me prorupisse, "Non timeo! animus meus non timet:" simul etiam vires ad surgendum suppetebant. Ibi, in ea cœca caligine ad unam fenestrarum rui: siparia revello, tabularium violenter pando; prima mihi cogitatio fuit LUMEN. Atque quum primum lunam celsam, claram ac serenam conspexi, tantum gaudii percepi quantum me pro superiori terrore pæne compensaret. Illic erat luna, illic quoque erant lucernarum lumina in via sopita ac deserta. Converti me et in cubiculum respexi; splendor lunæ caliginem huius languide, et ex parte, penetravit, sed tamen erat lumen. Obscura et opaca ea res, quidquid id fuerit, evanuit; nisi quod usque percipere poteram exilem umbram, quæ eius nigroris umbra in adversum parietem iacta fuisse videbatur.

Oculis meis nunc mensam prosequebar. Hæc autem erat e ligno mahagonico, nullo linteo aut tegete. Subito manum animadverto e subterno eius levari, quæ ad carpum usque discerni poterat. Manus autem ea perspicue tam vere caro sanguisque erat quam

mea, sed manus senis cuiusdam, macra rugosa et parva quoque, muliebris. Caute leniterque manus ea appropinquabat duas illas epistolas quæ in mensa iacebant, et mox tam litteræ quam manus evanuerunt. Tum ii tres pulsus ad caput spondæ per numeros sequebantur, quos antequam drama hoc insolentissimum agi cœperat, audivi.

Postquam hic crepitus cessaverat totum cubiculum sensim vibrari animadverti. In adversa parte cubiculi, quasi e constrato, scintillæ, sive globuli et bullæ luminis omnium colorum — virides, flammeæ, glaucæ — ebullire, sursum deorsum, huc et illuc, prorsum, retrorsum, more ignis fatui moveri, gyrari, modo celeriter, modo lente, quæque scintillæ et bullæ suo modo arbitratuque agitari et cursare cœperunt. Dein sella (ut antea in exedra, infra) sine ullius visibili interventu, a pariete ad partem mensæ adversam moveri. Extemplo, tamquam ex ipsa sella, species humana, mulieris forma accrescere. Ut species vivi, forma ea distincta erat, ut species mortis, omnino cadaverosa. Vultus erat iuventæ cum insolita venustate lugubri; humeri collumque erant nuda; cæterum corpus stolá sinuosá nubilo albá erat amictum. Modo spectrum suos longos, flavos crines mulcendo lævigare cœpit, ut iidem per humeros et tergum defluebant; oculi eius non ad me, sed ad ianuam erant versi; auscultare, præstolari, exspectare vi-

debatur. Umbra nigroris in postico obscurior fieri cœpit, ego autem iterum videre autumabam oculos e vertice umbræ in illud spectrum enitere.

Ceu e ianua, quamquam non aperta, altera figura videbatur enasci æque distincta, æque cadaverosa, species viri, viri iuvenis. Induta hæc erat indumentis sæculi superioris, vel potius in similitudinem eiusmodi indumenti; nam utraque species, figura fœminæ, figuraque maris, quamquam definitæ substantiæ erant vacuæ et impalpabiles — simulacra, phantasmata. Tamen aliquid incongrui suberat, nihilominus formidolosi ea indumenta gerentibus. Eodem temporis puncto quo species mascula fœminam attigerat, umbra atra e pariete proruit, omnesque tres pro momento temporis caligine erant obvolutæ. Revertente lumine pallido illa phantasmata duo ab umbra illa opprimebantur, atque in pectore fœminæ macula cruoris videbatur; phantasma autem masculum gladio suo innitebatur, atque e limbis reticulatis cruor uberius stillabat; denique caligo ea hausit cunctaque evanuerunt. Porro bullulæ lucis iterum prosilierunt, et quaquaversum diffundebantur, atque densiores fieri ac magis magisque confundi in suis motibus parebant.

Mox ianua armarii ad rectum foci aperiebatur, et species vetulæ inde egrediebatur. Manu sua epistolas tenebat — ipsas eas, in quas manum porrigi clau-

dique videram, pone vero eam strepitum gressuum audivi. Ipsa conversa auscultare videbatur, tum litteras aperire ac legere; supra humeros autem eius vultum vidi lividum, vultum nempe quasi cuiusdam iam pridem aquis mersi — tumidum, exsanguem, capillis aqua manantibus algisque intermixtis; ad pedes autem anûs figura iacebat quasi cadaveris, iuxta cadaver autem puellus genibus insistebat, puellus miserabilis et squalidus, genis macilentis, metuque in oculis. Ut vultum anûs adspectabam rugæ sulcique evanuerunt, et in iuvenem mutata est aspectu duro, lapideo, tamen erat iuvenis. Umbra vero iterum prosiliit, et hæc quoque phantasmata, ut paulo ante priora, caligine obruit.

Nihil amplius nunc supererat nisi umbra; itaque super eam oculos meos enixe defixi, usque dum oculi ex umbra iterum emicuerunt — maligni, anguinei. Interim bullæ luminis iterum exsurgere et recidere cœperunt, et in suo incerto, vago, turbulentoque motu in ambages confusæ cum languido lumine lunæ se miscuerunt. Tandem ex istis ipsis bullis luminis, ceu e putaminibus ovorum, res miræ ac monstrosæ proruerunt, quibus aer mox erat referctus. Larvæ hæ tam erant exsangues, tam fœdæ, ut eas describere nullo pacto possim, nisi lectoris in mentem examen revocem rerum vivarum, quas microscopium sub oculis evocat in gutta aquæ — omnes hæ flexiles, pellu-

cidæ, agiles, aliæ alias insectantes ac devorantes — formæ figuræque nudis oculis a nemine unquam visæ. Ut formæ ipsæ nullá erant symmetriá, sic et motus nullo certo ordine. In ipsa earum concursatione nullum erat colludium. Pedetentim me circumfluere cœperunt magis magisque turmatim et catervatim, persultantes caput, obrepentes brachio dextro, quod me invito erat porrectum velut in tutelam atque mandatum adversum entia nequam. Quandoque me contrectari sensi non quidem ab his; manus invisibiles me palpaverunt. Semel etiam percepi captum algidæ mollisque manús ac digitorum in gula mea. Usque mihi plane conscius eram, timori si cessero, futurum ut perniciem corpoream incursurus sim; proinde omnes intendi nervos ad obsistendum voluntati pervicaci. Itaque oculos meos ab umbra, præsertim ab oculis illis anguineis averti — qui oculi iam in pleno conspectu erant. Nam in illis — nec in ullis aliis rebus circa me — exploratum habebam volendi vim inesse, vim agentissimam, productivam et creatricem mali, quæ meam conterere posset.

Aura cubiculi opaca modo rutilare cœpit, velut reverberato lumine incendii vicini. Larvæ nunc rubebant tamquam res quæ vitam in flammis agere soleant. Dein cubiculum iterum vibrabat, atque tres numerati pulsus iterum resonabant; iterum omnia caligine atræ umbræ absorbebantur, quasi omnia hæc

ex ea atra umbra profecta essent, omniaque in eandem umbram reverterentur.

Mœsta caligine pedetentim soluta, umbra prorsus evanuit. Eá sensim dissipitá lumen in flammas candelarum in mensa, pariter cum igne in camino exoriri cœpit, atque cubiculum pedetentim placide in statum salubrem et in conspectum provenit.

Duæ ianuæ usque erant clausæ, ea quæ in cameram servi ducebat erat obserata. In angulo parietis, quo trepidus et convolutus se recondiderat, iacebat canis. Affatus eum sum — nullum edidit motum; adívi eum — erat extinctus; oculi extuberabant, lingua ex ore pendebat, spumaque circa os eius coaluerat. Complexus eum ad focum admovi; canem meum prædilectum amisisse admodum graviter tuli, quod meá culpá id factum existimavi, neque ipsum ob suum interitum reprehendi, existimabam enim, eum terrore interivisse. At quantum stupui quum animadverti cervicem eius prorsus fractam esse — revera vertebras prorsus eversas. Num hoc in tenebris contigit? Nonne oportet id humana manu, meæ simili, perpetratum esse? Nonne necesse est hisce humanam personam intervenisse? Ut id suspicarer certe satis causæ aderat. Rem plane explicare nequeo. Plus facere quam eventa æque referre non valeo; cætera lector pro se iudicet.

Altera mira circumstantia — horologiolum me-

um, quod tam arcano modo mihi subductum erat, mensæ restitutum est; at vero id eodem momento quo subducebatur, constitit, nec postea, quamvis scitissimus tentavisset horopégus omnem suam artem, incederet: hoc est, incedit quidem et nunc paucas horas erratico quodam modo, tandem tamen penitus constitit; valet amplius nihil.

Per reliquam noctem nihil ulterius evenit; nec profecto diu mihi exspectandum erat usque ad diluculum. Domum tamen infestam sero tantum mane reliqui. Antequam tamen id fecissem, cœcum illud cubiculum revisi, in quo ego et famulus meus inclusi eramus. Admodum suspicabar, nec scio quare, inde profectum esse omne horum eventum molimentum, si ita fas sit appellare ea quæ in cubiculo meo expertus eram; atque licet nunc plena diei luce eo ingrediebar, tamen, ut in constrato eius substiti, quominus mihi obreperet horror, quem ibi præterita nocte senseram, quique tantopere adauctus est per ea quæ in meo proprio cubiculo evenerant, avertere nequivi. Revera inter eos parietes diutius quam dimidium minutum morari haud poteram. Gradus descendens crepitum vestigiorum iterum audivi, quum vero aperiebam ostium, audire mihi videbar admodum submissum risum. Domum quum perveneram existimavi meum famulum fugitivum ibi me offensurum. At ipse illic minime comparuit, nec de eo per triduum

quidquam audivi, donec litteras ab eo Liverpool datas huius tenoris accepi: —

"Here mi Honorande, — Humillime flagito ut mihi ignoscas, quamvis mihi sperare vix liceat ut tu id me mereri arbitreris, nisi — quod Dii avertant! — tu videris quod ego viderim. Opus annorum erit donec persuadear valetudinem me penitus recuperavisse; quod autem ad meam attinet ad servitium aptitudinem, præter quæstionem positum est. Quamobrem statui mecum Melbourne, ad sororem eiusque maritum proficisci. Navis cras solvet. Longa fortasse navigatio me mihi restaurabit. Nihil in præsenti nisi terreor atque contremisco, mihique fingo a tergo aliquid imminere. Humillime te obtestor, Here mi honorande, ut manipulum vestium atque quidquid mercedis mihi obveniat, ad titulum matris, in Walworth, expedire iubeas: Ioannes insignaculum eius novit."

Litteris porro aliæ excusationes quodammodo inconstantes erant subnexæ, item minutiores explicationes circa res quæ eius curæ erant commissæ.

Ex effugio isthoc suspicari licet eum in Australiam migrare voluisse, et eventibus eius noctis fraudulento quodammodo implicitum fuisse. Ad refellendam hanc suspitionem nihil dico, potius ceu solutionem, quæ aliis verosimilis videri possit eam propono ad explicandos eventus haud verosimiles. Mea ipsius theoria nihil mutata est. Vesperi in eandem domum

rhedá meritoriá ad meas res ibi relictas, cum cadavere miselli caniculi mei asportandas redivi. Hoc in negotio nullas tuli molestias, nec quidquam memoratu dignum incidit, nisi quod ascendendo descendendoque gradus crepantium me antecedentium gressuum sonitum iterum audivi. Postquam domum reliqueram, ædes heri I — adii, quem domi offendi. Claves ei reddidi, dixique ei curiositatem meam satis expletam fuisse, ac breviter narrare paravi quæ ibi gesta essent, quum ille admodum civiliter me docuit se minimum curare mysteria audire, quæ hactenus nemo par solvendo esset.

Tamen statui illi de duabus duntaxat litteris quas legeram referre, perinde ac de insolito modo quo eædem mihi subductæ erant; tum quæsivi ab eo utrum eæ ad illam mulierem scriptæ fuissent quæ in ea domo mortua esset, item, utrum illi quidquam notum esset quod anteactæ eius vitæ lumen affunderet, quo suspitio illa atra, quæ ex iis litteris est oriunda, confirmaretur. Herus I — obstupescere videbatur, ac post brevem moram respondit:

"Ex anteacta mulieris vita parum mihi constat præter id quod tibi iam aperui, familiam eius meæ cognitam fuisse. Tu tamen mihi quædam in mentem revocas, quæ eam fortasse minus commendare possint. Inquiram tamen in rem et quidquid reperiatur, te docebo. Attamen, etiamsi superstitioni vulgari

adstipulemur, quemcunque puto posse qui scelus sive in vita perpetraverit, sive criminis alicuius victima fuerit, tamquam lemurem irrequietum loca, ubi hæc crimina patrata fuissent, revisere; tamen asserere debeo eam domum a curiosis visionibus infestam fuisse priusquam anus illa mortua esset. Tu rides; quid tibi videtur?"

"Mea quidem hæc est sententia: mihi persuasum est, si ad ima istorum mysteriorum ruspari possemus, reperiremus vivum humanum interventum in causa esse."

"Quid? tune autumas cuncta hæc imposturam sapere? Quonam proposito?"

"Non imposturam sensu ordinario intelligo. Si forte in somnum profundum inciderem, e quo me evocare non posses, sed in eo somno omnibus quæsitis tuis ea certitudine respondere scirem qua vigil nunquam pollerem — edicendo quantum pecuniæ in sacculo celes, næ ipsa tua cogitata panderem — non necessario impostura esset magis quam res supra naturam. Tum enim, me insicio, mesmerismo parerem, mihi e longinquo, a viva persona humana illato, quæ persona potestatem ex antecedenti quodam contactu nactam, super me exerceret."

"Si dederimus mesmerismum sic extensum verum esse, nihil repugnabo. Atque hinc tu inferres auctorem mesmerismi edere posse effectus a te aliisque

perceptos, et in res inanimes agentes, uti — auram visionibus vocibusque complere?"

"Aut vero mentes nostras ita afficiat ut fidem his rebus præstemus, quamquam nobiscum in contactu nunquam fuerit is qui in nos egerit? Non sic. Quod vulgo mesmerismus vocatur, id faciendo impos est; at esse potest quædam potentia mesmerismo similis aut superior — potentia quæ antiquitus magia appellabatur. Eiusmodi potentiam ad omne genus res inanimes protendi posse non assevero; sed si ita esset, naturæ non adversaretur; sed esse posset rara quædam in natura, quæ organismo corporali, cum certis quibusdam facultatibus concessa potentia, quæ cultu atque exercitatione ad extremos limites prolatari posset. Hanc potentiam valere vim suam super mortuos exserere — hoc est, super cogitationes aliquas memoriasque quas mortui usque possint tenere — atque adigere, non *animas* eorum, quæ longe extra humanam potestatem sitæ sunt, sed potius spectra quædam eorum, quæ in terris rebus terrestribus maxime inquinata fuerunt, ita adigere, ut spectra ea sese nostris sensibus ostendant — hoc dogma est antiquissimum, licet obsoletum, de quo nullam periclitabor opinionem. Potentiam tamen eiusmodi supra naturam esse haud dixerim. Sine ut quid intelligi velim, explicem, experimentum quoddam quod Paracelsus velut haud arduum allegat, et quod auctor 'Curiosa Litte-

rarum' ut credibile citat. Flos interit; eum comburis. Quæque eius floris elementa fuerint dum vigebat, interiverunt, dissipata sunt, nescis quo; nunquam ea reperies, nec colliges. Ope tamen chemiæ e cineribus eius floris ut quondam virebat spectrum eius effingere poteris. Idem homini evenire poterit. Anima æque ac floris essentia, vel elementa, evasit. Tamen spectrum eius effingere poteris. Visio autem ista, quamquam in superstitione vulgi ea creditur esse anima vitá functi, cum vera anima confundi non debet; ista nihil est nisi *eidolon*, simulacrum formæ mortuæ. Proinde, in probatissimis de larvis ac visionibus fabulis, præsertim anima — id est, libera ac soluta intelligentia — abest. Siquando comparent, id aut pro re exigua, aut nulla fit; raro loquuntur etiamsi compareant; nullos conceptus qui supra ordinarios sint vivorum, proferunt. Hi Americani manium spectatores et in prosa et in poesi multa iam ediderunt volumina de nuntiis a manibus communicatis, quæ ut ii asserunt, ab illustrissimis mortuis data sunt, veluti Shakespeare, Bacon, Diis solis notum, quibus. Ea nuntia, si vel optima ex iis seligas, ne vel hilum quidem altioris iudicabis ordinis quam essent nuntia vivorum mediocris facultatis atque cultús; quin oppido inferioris quam quæ Bacon, Shakespeare atque Plato vivi dixerint vel scripserint. Nec, quod et magis notari meretur, unquam vel unicam complectuntur ideam, quæ

non antea hicce terrarum nota fuerit. Mira licet hæc phœnomena (si modo vera) sint, multa in iis deprehendo de quibus philosophia dubitare possit, nihil quod philosophia negare debeat, hoc est, nihil quod supra naturam sit. Hæc phœnomena meræ ideæ sunt quas una mens mortalis cum altera (quonam modo, hactenus nihil certi constat) communicat. At vero, quum hæc fiunt, utrum mensæ sua sponte moveantur, aut vero diabolicæ maniæ in circulo magico compareant, aut manus incorporeæ exsurgant, resque materiales e medio subducant, aut, denique, umbra atra, talis qualis sese mihi obversabat, sanguinem nostrum gelet — tamen mihi persuasum est hæc omnia vicaria nonnisi esse ad meam mentem ab alia quadam mente, veluti per fila electrica transfusa ac permissa esse. Organis nonnullorum corporis inest quædam chemia naturalis, et hi valent mira quædam chemica edere; aliis aliquid liquidi, voces licet vim electricam, hi mira electrica edent. Hæc tamen a scientia vera differunt, quod omnia sunt puerilia, frivola, expertia propositi ac finis. Hæc nuntia et effata ad nullam grandiorem utilitatem viam parant, prohinc mundus ea negligit, verique sapientes ea non coluerunt. At persuasum mihi est cunctorum quæ videram vel audiveram, auctorem remotiorem hominem, æque atque ego sum, humanum ac mortalem exstitisse; etiam credo, quod ad effectus accurate attinet, inconscium:

et hoc ideo quia nulli unquam duo, ut ipse tu mones, eandem tabulam retulerunt; perinde memineris velim, nullos unquam per quietem prorsus eadem somnia expertos esse. Quodsi hæc vulgaris et communis esset impostura, tota machinatio ad vulgares effectus parum variabiles esset instructa; si vero originis esset supra naturam positæ, superis annuentibus, certo ac definito proposito non careret. Nunc hæc eventa ad neutram spectant classem. Ex sententia itaque mea hæc a longinqua quadam mente originem ducunt; opinor etiam eam mentem in istis eventis voluntatem distinctam non exseruisse; et quæ evenerant, haud aliud quam devia, confusa, fluxa ac mutabilia semiformata cogitata eius reverberare; credo hæc eventa esse somnia eiusmodi mentis in operationem acta, ac semisubstantiá subornata ac vestita. At mentem hanc vi ingenti pollere, posse materiam in motum agere, esseque eam malignam, et posse eversionem operari, minime negaverim. Vim, quæ canem meum enecuit, materialem esse oportet; poterat eadem, quantum ego sciam, si terrore ita subactus ac domitus fuissem ut fuit canis meus, me quoque interimere — nisi intellectus meus, aut animus, satis virium habuisset, quibus vim casu æquipollere potuissem."

"Quid ais? canemne tuum peremit? auditu horribile! Curiosum profecto est, nullum animal in ea

domo perseverare posse, ne felem quidem. Mures ibi reperiuntur nulli."

"Bruta animalia, quid suæ vitæ lethale sit, instinctu dignoscunt. Sensus humanus parum minus subtilis est, quoniam potestate ac facultate efficacius resistendi præditus est. At hæc hactenus; tenesne theorema meum?"

"Teneo, quamvis non penitus; tamen quamlibet theoriam (pace tua dixerim) curiosam potiorem habeo quam nænias de manibus ac lemuribus, quibus per nutrices nostras imbui solemus. Tamen domui meæ infortunatæ malum perinde est. Quidnam gentium de domo statuam?"

"Indulge ut te doceam quid ego statuerem. Ex intima mea cognitione ac sensu persuasum habeo cubiculum parvum, vacuum, quod ad rectangulum illi est quod ego occupabam, esse receptaculum ac fontem omnium eventorum qui domum infestant; atque enixe tibi suadeo ut muros refringi, constratum revelli, næ totum cubiculum demoliri cures. Etenim utique animadverti id ab ipsa domo seiunctum esse, et in area postica exstructum, posse itaque sine detrimento cæteræ domûs omnino everti ac dirui."

"Et tu revera existimas, si id facerem —"

"Fila telegraphica rumpes. Me non errare sic persuasum habeo ut, si operi demoliendi præesse me siveris, dimidium sumptuum ferre velim."

"Quin ego sumptibus ferendis prorsus par sum; indulge cæterum ut paullo post de ea re tibi scribam."

Post denos circiter dies litteras ab hero I — accepi, in quibus me docuit se inde ex quo conveneramus domum visum ivisse; litteras duas de quibus ego retuleram, in forulo unde ego eas sustuleram, repositas reperisse; se eas eadem quam ego diffidentia legisse; de muliere, ad quam coniectabat eas scriptas fuisse, se caute disquisivisse. Ipsam, ut videbatur, sex et triginta annis antea (uno anno ante datas litteras) cognatis invitis, cuidam Americano, moribus admodum suspecto, qui profecto universim piratarum numero habebatur, nupsisse. Eam ipsam loco satis honesto, ex parentibus mercatoriis natam, ante connubium nutritiæ functam esse munere. Fratrem viduum opulentum creditum eam habuisse, huic autem prolem fuisse circiter sex annorum natam. Uno mense post nuptias fratrem hunc in Thamesi, prope ad Pontem Londinensem, mortuum fuisse inventum, circa gulam cuius notas violentiæ fuisse repertas, non tamen sufficere creditas quare inquisitio aliter pronuntiasset quam 'inventum mortuum' aqua mersum."

Americanum uxoremque curam prolis suscepisse, fratrem mortuum per testamentum sororem unici filii tutricem statuisse, si autem filius decessisset, sororem hæredem futuram. Filiolum, circiter sex menses post mortuum esse; ut fama percrebruit, ex neglectu et

crudelitate. Vicinorum nonnullos puerulum noctibus eiulare se audivisse. Chirurgum, qui post mortem in causam inquisivisset asseruisse puerulum veluti fame confectum exinanitum et emaciatum fuisse, nec lividas plagas et vibices in cadavere abfuisse. Quadam nocte hiberna puellum effugere tentare allegatum esse; furtim eum in areolem posticam evasisse, murum ascendere tentasse, sed ex defectu virium recidisse, postridie autem mane moribundum repertum esse· Tamen, etiamsi indicia crudelitatis haud deessent, necis defuisse; amitam vero eiusque maritum crudelitatem pervicaciá, nimiaque pueri perversitate extenuare conatos esse, et eum mentis minus compotem allegare. Quidquid tamen fuerit, amitam, morte orphani hæredem bonorum fratris esse factam. Antequam annum coniugii primum explevissent, Americanum subito Angliam reliquisse, nec eo unquam amplius revertisse. Nactum eum esse navim, quæ binis annis post in oceano Atlantico deperisset. Viduam affluentem fuisse relictam, quam tamen varia infortunia supervenissent, argentariam cum sua pecunia ad incitas redactam, locatam pecuniam amissam, negotiolum eam inivisse, non solvendo factam, dein in famulatum abivisse, inde sensim profundius mersam, e curatrice domûs mediastinam factam, uno loco nunquam diu perseverasse, quamvis nihil adversi contra mores eius allegari potuisset. Omnes eam sobriam,

fidam, indole et habitu admodum quietam habuisse, tamen nihil prospere gerere valere. Itaque postremo in refugium egentium eam relatam, herum I — eam inde evocasse, domuique præstituisse, quam antea, primo anno sui connubii, rebus suis tum integris, conduxisset.

Ad hæc herus I — in litteris addidit se solum in eo cubiculo quod illi demoliendum suaseram, unam horam exegisse, suamque formidinem dum ibi morabatur tantam fuisse, quamvis nec audisset nec vidisset quidquam, ut desiderio cubiculi parietes subruendi, constratumque evellendi, ut ego suaseram, maximo captus esset. Ad opus perficiendum iam etiam operas conduxisse, seque, quocunque ego vellem die, opus incipere paratum esse.

Dies itaque est statutus. Ad domum infestam igitur me contuli; intravimus inane illud ac formidolosum cubiculum. Tabulas ad pedes parietum sustulimus, tum axedones constrati singillatim avulsimus. Sub canteriis, mole scrutorum referctis, ianua reperta erat cadiva, magnitudine homini accommodata, erat tamen clavis ac fibulis destinata. His avulsis, cubiculum subternum penetravimus, quod exstitisse nemini unquam notum erat, nec id quisquam suspicatus est. Hoc in cubiculo erat fenestra atque ductus in caminum, qui tamen, ut satis constabat, lateribus per multos annos obstructi erant. Lumine candelarum inspe-

ximus locum, in quo aliqua muscosa supellex — ternæ sellæ, scamnum quernum, una mensa — cuncta ad normam et consuetudinem octuagenûm annorum ante, superstitabat. Erat et armarium illic cum forulis parieti applicitum, in quo synthesin indumentorum virilium, cuiusmodi sæculo, vel octuaginta annis ante, viri alicuius numeri gerere poterant, sed nunc iam carie ac putore semesa. Itam inventi erant chalybeii noduli et fibulæ, magni quondam pretii, cuiusmodi in vestitu aulico usque geruntur; deinde nitidus ensis ornamentalis. In colobio, quod olim aureis patagiis clarebat, modo tamen nigrore mucoreque erat tætrum, quinos aureos Anglicos, paucos nummos argenteos, atque tessellam invenimus eburneam, haud dubie pro sociali quadam diversatione, iam dudum præterita. At inventio nostra princeps erat arca quædam fortis muro instructa, cuius seram maximo nonnisi artificio poteramus enucleare.

Hac in arca tria erant pegmata, duoque foruli parvi. Supra pegmata in ordine stabant lagenulæ crystallinæ hermetice obturatæ, plus haud dicam, quam quod venenosæ non erant, et quod partes mixturæ quarumdam phosphorus erat atque ammonia. Accesserunt etiam quidam admodum curiosi tubuli vitrei, item taleola ferrea cuspidata cum frusto grandiori crystalli, frustum alterum succini, denique magnes lapis magnæ potentiæ.

In forulorum uno imagunculam in quadratura auream invenimus, cuius colores usque vividi erant. Imaguncula simulacrum erat viri, qui tum superiores annos mediæ ætatis agere videbatur, eratque fortasse annorum septem vel octo supra quadraginta.

Vultus eius præter morem peculiaris erat, nec memoriá facile delendus. Si tibi grandem colubrum in speciem humanam conversum, servatis lineamentis colubri veteris in vultu tibi fingere posses, accuratiorem tibi concipere imaginem eius vultús, quam descriptio quælibet impertiri posset. Frons eius erat oculata ac pressa, lineamenta elegantia, terribilibus oculis viridibus, smaragdi instar. tamen non sine truci tranquillitate, veluti ex conscientia ingentis potentiæ. Quocirca unum mihi perquam mirum videbatur, nempe primo ictu oculi agnovi stupendam similitudinem huius cum effigie in orbe terrarum pæne rarissima; effigie nempe viri ex optimatibus, secundi tantum a regia dignitate, qui sua ætate famá multum percrebruerat. Historia de eo nihil, aut parum, prodidit; verum si epistolas æqualium volvites, reperies haud pauca de eius temeraria audacia, de morum perversitate, de animo vago et inconstanti, et, denique, de studiis eius rerum occultarum. Dum usque in fastigio ætatis mediæ mortuus sepultusque est, chronicis testantibus, peregri. Decessit autem in tempore ad effugiendas legum manus; nam criminum accusatus

est, quæ supplicio capitali luenda erant. Post mortem eius effigies, quarum nullus erat numerus, quod liberalis erat artium patronus, coemptæ, et flammis abolitæ sunt, ut creditur ab hæredibus, quibus, si nomen huius ex illustri suo stemmate oblitterare potuissent, nihil futurum erat gratius. Ipse opibus affluebat, quarum magnam partem astrologus quidam aut vates creditur diripuisse; utut sit, post mortem eius opes hæ, quonam modo, ignoratur, e medio evanuerunt. Una sola eius effigies putabatur universam stragem evitavisse, quam ego aliquot ante menses in domo cuiusdam emptoris rerum curiosarum videram. Aspectus effigiei mihi, ut plerumque omnibus qui eam intuiti sunt, fere indelebilia animo vestigia impressit, vultus enim erat talis, qui oblivione nunquam deleri possit. Atque en faciem in minutulo, quam manu tenebam. Verum quidem est in minutula effigie ipse paucis annis ætate provectior videbatur quam in ea quam alias videram, aut ille ipse tempore mortis fuit; at quid pauci anni? Etenim ab ea ætate qua hic terribilis magnas floruerat, atque tempus quum hæc imago picta esse videbatur, temporis intervallum plus quam duo sæcula intercesserunt. Dum ego sic spectabundus mirabar tacitus, herus I — sic fatur:

"At fierine potest? Hunc ego hominem novi."

"Quomodo? ubi? stupens quæro ego."

"Ex India. Iste ipse in intima fiducia erat principis —, eumque fere in seditionem seduxit, quæ seditio certe finem eius attulisset principatûs. Homo autem ille Francus fuit, nomine De V—; versutus, audax, legirupa. Nos eum civitate pelli et in exsilium agi curavimus; hunc eum ipsum esse necesse est; nulli enim duo vultus iidem; atque minutulum hoc pæne centum annorum esse videtur."

Vix mei conscius verti imagunculum obversum eius inspecturus, ubi incisam reperi stellam sexangulam, cuius in medio scala, huius autem gradus tertius numeros efficiebat mille septingentorum sexaginta quinque (1765). Penitiore instituto examine, choragiolum reperi, quod quum digito pressissem, operculum obversi recellit. In interiori huius operculi incisum erat, "Marianæ, tibi. Fida esto in vita et in morte erga tuum — —." Nomen hic sequitur, quod memorare non libet, sed mihi haud ignotum. Puer a senibus memoratum audivi tamquam nomen cuiusdam splendidi nebulonis, qui Londini per annum et ultra ingentem sui famam civerit, ac postmodum, post geminam in propria domo cædem, pellicis nempe suique rivalis, peregre profugerit. De his rebus hero I — nihil memoravi, sed imagunculam invitus ei concessi.

Primum forulum arcæ sine labore aperuimus, opus tamen arduum erat alterum aperire; obseratus quidem forulus non erat, nihilo tamen secius resiste-

bat, nec quidquam usque eo profecimus donec cuspidem cæli rimæ impulerimus. In forulo itaque vi evulso reperimus in concinno ordine apparatum quemdam perquam singularem. Super libellum, sive tabellam, stabat patella crystallina; ista plena erat liquidi cuiusdam clari; supra liquidum illud flutabat genus acûs magneticæ, quæ celeriter in gyrum versabatur; sed loco indicum plagarum cœli nautis usitatorum, potius siderum, ut astrologis est solemne, signa erant in margine descripta. E foriculo isto quidam odor manabat admodum singularis, licet non inamœnus. Parietes huius foruli, ut postea reperimus, ligno avellano erant obducti. Quæquæ odoris istius causa fuerit, singulari quodam modo nervos afficiebat. Singuli nostrum, etiam operæ, eundem effectum experti sunt, quicunque in cubiculo intererant. Sensus autem erat titillatio quædem obrepens ab extremis unguibus usque ad radices crinium. Avidus quum essem tabellam inspiciendi, sustuli patellam. Dum hoc faciebam, acus celerrime circumversari cœpit, ego autem stringore sum perculsus, qui omnes meos artus percurrit, ita ut patellam in terram abiecissem. Liquidum utique diffusum, patella autem fracta est, pyxis vero cum acu magnetica ad parietem devoluta est, atque eodem puncto temporis muri nutare cœperunt, acsi manus gigantum eos quassaret.

Duæ operæ ita exterriti sunt ut per scalas, qua-

rum ope huc per ianuam cadivam descenderamus, sursum currerent, sed quum nihil amplius evenire sentirent, ad redeundum facile permoveri poterant.

Interea tabellam, sive codicillum, qui communi corio rubro et fibulá argenteá pactus erat, evolvi. Nihil nisi unam philyram crassioris chartæ continebat, in qua, inter duas stellas sexangulares, antiqua Latinitate monastica hi versiculi erant inscripti: "In omnes, quos intra hos muros attigerit, sentientes aut inanimes, vivos aut mortuos, ut ista movetur acus, mea voluntas operabitur! Maledicta sit ista domus, incolæ autem eius irrequieti."

Plus reperimus nihil. Herus I — codicillum cum eius anathemate unà flammis abolevit. Eam autem partem ædificii, in qua secretum hoc cubiculum cum camera supra idem, funditus evertendum curavit. Hoc perfecto ausus est eam domum ipse per mensem incolere, nec ulla domus tota in urbe placidior et accommodatior eá reperiri poterat. Paullo post, æquis legibus, eandem inquilino locavit, nec hic unquam conquestus est.

At historia mea finem necdum attigit. Paucos dies postea quam herus I— in hanc domum migraverat, eum visum ivi. Fenestris ante nos patentibus colloquentes stabamus. Tensa[1] ante ostium stabat rebus

1. Est genus vehiculi maioris, præsertim ad vectandam supellectilem domesticam.

quibusdam onerata, quas ex instructione prioris sui domicilii huc transvehi curabat. Usque conabar theoriam meam inculcare, qua asserebam omnia eventa, quæ vulgo supramundana existimantur, e mente humana emanare, fascini exemplum allegans, sive maledicti potius, quod hic repereramus ac delevimus, quo meam theoriam suffulcirem. Herus I— in responsum evolvere conabatur "mesmerismum," sive quidquid eiusmodi vis ac potentia appelletur, utrum posset, absente auctore, ita operari, atque effectus ita stupendos producere veros et genuinos, et, si hoc detur, possetne hos effectus, etiam auctore mortuo, facere ut perdurent? si vero fascinatio effecta sit, tum, profecto, si cubiculum muro septuaginta et ultra clausum fuerit annos, ex quo tempore certe verosimile est auctorem vitá functum esse, tamen effectus usque perseverent? arguebat herus I —, quum ego subito brachium eius attrecto, eumque oculos deorsum in viam flectere iubeo.

Vir quidam probe vestitus ex adverso vico viá horsum[1] traiectá, aurigam tensæ alloquebatur. Vultus eius nostræ fenestræ rectá obversus erat. Facies eadem ipsa erat quam in minutula effigie a nobis inventa spectabamus; facies nempe simulacri optimatis trium sæculorum ante vitá functi.

1. Hoc versum, in citeriorem partem ex adverso latere viæ i. e. in eam partem in qua nos stabamus.

"Dii immortales!" clamat herus I —, vultus hic illius De V — est, vixque die adultior eo quem in aula principis vidi iuvenis."

Eadem capti cogitatione gradus descendimus. Ego prior in viam perveni, homo tamen iam discesserat. Attamen oculis eum mox consecutus, nec valde procul, paullo post ad latus eius adstiti.

Constitui mecum eum alloqui; verum conspecto eius vultu, id fieri haud posse censui. Oculi illi — oculi colubri — fascino me defixum tenebant. Nihilominus homini non deerat quædam dignitas conscientia superioritatis habitusque statûs sublimioris, quemlibet moribus urbanis et civilibus assuetum deterruissent quominus tantam sibi licentiam sese obtrudendi sumere auderet. Præterea, quid poteram ei dicere? Quidnam ab eo quarere poteram? Sic itaque pudore repulsus ob meos conatus, eundo lentescebam, tamen peregrinum hunc sequi perrexi pendens animi quid potissimum facto opus esset. Interea ipse circuivit cornu vici, prope ubi rheda satis plana cum pedisequo ut cacula induto præ ianua rhedæ eum præstolabatur. Paullo post ipse ingressus rhedam, visui mox subductus est. Ego ad domum redii. Herus I — usque in ostio stabat. Interim ipse quæsivit ab auriga quid peregrinus ille percontatus esset.

"Nihil nisi sciscitabatur cuius nunc hæc domus esset."

Eadem vespera casu contigit ut cum quodam amico quendam locum in urbe visum irem, qui Circulus Cosmopolitanus appellabatur, qui omnibus omnium gentium, opinionum, omnisque statús patebat. More suo quisque caffam, convolvulosque pro suo gustu et consuetudine sibi mandare solet. Ibi nunquam non convenies affabiles, aut etiam claros viros.

Vix bina minuta in conclavi eram, quum ad mensam cum viro quodam mihi noto, quem littera G — lubebit designare, animadverto virum in illa effigie depictum. Caput nunc nullo pileo tegebatur, unde et similitudo etiam magis erat stupenda, quum etiam animadverti vultum minus severitatis prodere, quin nec lenis risus aberat, licet tranquillior, ac fere nimis gelidus. Dignitas quoque habitús quam iam foris agnoveram, hic enixior erat, similisque dignitati principis orientalis extorris.

G — paullo post a peregrino recessit, qui tum periodicum doctificum lectitare cœpit, quo omnis mersus esse videbatur.

Interim ego G — sevocavi. "Quisnam et quidnam ille vir est?" quæro ab eo.

"Illene? O, is homo est admodum notabilis et singularis! Anno superiori inter antra Petræ, qui locus in Scripturis Edom appellatur, eum conveni. Omnium quos novi rerum Orientis eruditorum ipse doctissimus est. Societatem iunximus, cum latronibus discrimina

subivimus, quocirca constantia animi eius nos ab interitu servavit; dein me invitavit ut vel unum diem domi suæ, quam Damasci emerat, agerem, quæ domus prope obruta est amygdalorum floribus ac rosis; res pulcherrima! Illic iam plures annos vixit more veri orientalis, et grandi quidem apparatu. Ego tamen quodammodo suspicor eum extorrem esse opibus perquam affluentem, moribusque insolitis, cæterum et mesmerismo deditum. Ipse eum vidi potestatem in res inanimes exserere. Si epistolam e sacculo tuo expromptam in adversam cubiculi partem proieceris, videbis hanc eius iussu ad pedes eius moveri, cernesque epistolam agitari prorsum in tabulato donec iussa faciat. Sic, Medius Fidius, ut hoc verum est. Vidi etiam eum ipsam afficere tempestatem ope tubuli vitrei scipionis nubes cogere ac dissipare. Verum de his rebus cum peregrinis loqui ei non lubet. Modo tantum in Angliam pervenit, dicitque se hic multos annos non fuisse; indulge ut eum tibi sistam."

"Perlibenter! Estne igitur ipse Anglus? Quid ei nomen est?"

"O, quodammodo plebeium — Richards."

"Quanam e prosapia, — cuiusmodi gentis?"

"Quínam possum scire? Ecquid cæterum hoc refert? Sine dubio quidam *novus homo*, sed dives, improbe dives!"

Proinde G — me ad peregrinum adduxit, eique

me rite stitit. Mores heri Richards non erant iidem qui temerariorum peregrinantium esse solent. Peregrinatores plerumque vivaces, loquaces se præbent atque avidos imperandique cupidissimos. Herus Richards tranquillus, sermone submisso erat atque moribus politis, prorsusque moribus superioris ævi. Etiam animadverti Anglicitatem non prorsus eandem esse qua nos utimur, sermonemque eius peregrini quid sonare. At herus Richards nos monebat se multos annos sua lingua nativa usum non esse. Sermo nunc de multimodis mutationibus quas Londinum forma sua exteriori subiverat ex eo tempore quo ipse metropolin nostram viserat. Tum G — mutationes memorabat in moribus — litterariis, socialibus, politicis — de viris qui novissimis vicenis annis e publica vita excesserint, ac de novis et illustribus qui nunc in publicum emerserint. Ipse haud dubie nullos legit auctores nostri ævi vivos, nostros autem qui in republica versantur viros ne fando quidem audivit, nec cunctas has res admodum curare videbatur. Semel, et semel tantum, etiam risit, hoc autem tunc evenit quum G — quærebat ab eo utrum non in Legislaturam eligi in votis haberet. Risus autem hic fuit intimus, per sarcasmum, ac sinister; derisio potius quam risus. Post pauca momenta G — ad conveniendum quemdam notum, qui modo intrabat, discessit; tum ego submissius hæc memoravi, —

"Vidi effigiem tuam minutulam, Here Richards, in domo, quam tu olim incolueras, si non tu ædificaveris — si non ex integro, saltem ex parte — Via Oxoniana. Eam hoc mane tu præterivisti."

Oculos meos usque eo ad suos non sublevavi donec sententiam finiveram; sed ipse suis meum intuitum tantá constantiá defixum tenebat, ut oculos avertere nullo pacto possem; talis erat fascinatio oculorum anguinorum. Tamen præter voluntatem, et, acsi verba cogitationem meam interpretantia vi mihi extorta essent, susurro subiunxi: "Mysteriis vitæ naturæque indagandis operam dedi; occultos magistros horum mysteriorum cognovi. Iure itaque mihi sic loqui fas est." Et tunc certum verbum, tesseram, enuntiavi.

"Esto; ius tuum non nego. Quid velles interrogare?"

"Quem ad finem extremum potest voluntas humana sese exserere?"

"Quam late possit voluntas se exserere? Cogita modo, ac priusquam spiritum ducas, eris in Seribus!"

"Ita quidem, at voluntas mea in Seribus inefficax est!"

"Fac exprimas, et tum efficax esse poterit. Licebit tibi cogitatum quoddam litteris mandare, quod serius aut tardius possit totum rerum statum in Seribus commutare. Quid enim lex est nisi cogitatio? Co-

gitatio igitur infinita est. Ergo cogitatio potentia pollet, non quidem ad eam proportionem quantam valeat — nam cogitatio mala efficere potest ut mala lex potentiá tantum valeat quantum bona cogitatio bonam legem efficere possit."

"Prorsus ita; quod tu doces, meum theorema confirmat. Cogitatio unius mentis ad mentem alterius æqua celeritate permitti potest per invisibilem fluxum elementorum, quam per adminicula visibilia. Atque, quandoquidem cogitata interire nequeunt, suaque in rerum natura vestigia relinquunt, etiamsi auctor vitá excesserit, sic cogitata vivorum ad cogitata mortuorum suscitanda, in vitamque revocanda potestate pollere æquum est concedi, ea nimirum cogitata quæ habuerint *quum vixissent.* Nonne sic res se habent?"

"Si cogitata, meo iudicio, iis quos memoras limitibus circumscripta sint, respondere nolo. At perge; tu enim quæstionem habes quamdam specialem quam proponere velis."

"Impensa malignitas in voluntate acerrima, adiumentisque cunctis quorum scientia capax est effectibus edendis quales antiquæ nequam magiæ adscribi solent. Hoc itaque modo posset habitacula humana voluntas infestare spectris tamquam visibilibus simulacris cogitationum ac factorum flagitiosorum, quæ quondam intra illos muros perpetrata fuerint. Cogitationes sic altera alteram casu fortuito, sine certo

ordine ac tumultuatim percurrentes, tamquam in phantasiis somniorum, in cadaverosas visiones sonitusque accrescunt; et horrorem in contuenti gignunt; utique non quod hæc spectra sonitusque e mundo quodam exteriori proveniant, sed quod sunt cadaverosæ ac monstrosæ repetitiones eorum quæ iam in hoc mundo ipso exstiterunt, nunc vero a nequam mortali quodam in flagitiosum lusum incitatæ sunt. Hæc phantasmata etiam agendi potestatem humanam obtinent, interventu voluntatis eius sive mentis humanæ. Nam hæc etiam feriunt, tamquam vi electrica; possunt et occidere, nisi vis voluntatis eius quem impetunt ita assurgere valeat ut auctorem impetentis voluntatis vi superet; posset etiam valentissimum animal interimere si id metu nervis relaxaretur; at ne debilissimo homini nocere queunt si is, etiamsi illi capilli steterint, mente perseveret firma et inconcussa. Sic itaque quum in veteribus historiis relata legimus magos a dæmonibus, quos ipsi elicuerant, dilaniatos esse; vel etiam multo magis in legendis Orientalium quum allegatum invenimus unum magum artificiis suis alterum peremisse, in tantum videntur veritate niti, in quantum ens materiale, ex propria propensione nequam poterat quædam fluida cæteroquin quieta et innoxia, vel et alia elementa, terrificis formis atque vi investire, perinde ac fulmen, quod in nubibus innoxium latitabat, legibus naturæ

subito visibile fit, formam sibi induit propriam, oculis obviam, mortem atque interitum spargit ubicunque illi ferire contingat."

"Levi quodam aspectu grandis arcani non cares," respondit herus Richards placide. "Siquis mortalium ex tuo obtutu, eam quam tu memoras potentiam adipisci posset, maleficum ens esset et malignum."

"Si illud ens potestatem, quo memoravi modo exerceret, esset maxime maleficum ac malignum; credo tamen quod a priscis traditum est, bonis nocere non posse. Voluntas eius tantum iis nocere valeret quibus affinitate quadam iunctus esset, aut vero quos suæ voluntati penitus subiecisset. Lubebit modo exemplum fictum quoddam allegare, quod omnino intra leges naturæ esse possit, tam absonum tamen videbitur quam fabula monachi delirantis."

"Meministi fortasse quid Albertus Magnus postquam fuse monuerat quemadmodum manes citari, mandatisque obtemperare iuberi possent, disertis verbis docuisset eum obeundi modum paucis tantum adhiberi posse; atque *magum ad hoc natum esse oportere;* hoc est, natum certis humoribus et attributis physicis, prorsus ut nascuntur poetæ. Rari sunt homines intellectús supremi gradús, quorum in organis hæc facultas lateat, quod intellectus plerumque aut torvus est, aut e perversitate vel morbo laborat. Vicissim oportet ut hi præditi sint facultate cogitationes

suas in aliquod unum punctum dirigendi et cumulandi, — et hæc efficax facultas est quam *voluntatem* appellamus Hinc, tametsi intellectus istorum possit esse haud sanus et sincerus, est tamen agens et efficax ad vota assequenda. Ponam nunc eiusmodi personam præditam esse eiusmodi organis et quæ comitentur, facultatibus. Eum in supremum societatis fastigium collocabo. Faciam eum propensum esse atque abiectum ad libidinem, et ideo tenacissimum desiderii vivendi. Is amoris proprii est plenissimus; voluntas sua circum se solum versatur. Rerum status, ad quos animus et corporis conditiones eum ducunt, accuratiori cogitione arcanorum naturæ eum imbuunt, quibus propria proposita facilius asseaui possit. Ubi mores sui lascivi id expetunt, arcanorum legumque naturæ diligentissimus est observator; rationes minutissimas ponit non ex amore veri, sed ubi amor sui facultates suas exacuit, unde fit ut cultor scientiarum esse possit. Faciamus eiusmodi hominem, postquam experientia edoctus sciret quantopere suis artibus aliis prævaleret, tentare quid viribus suæ voluntatis in proprium corpus posset, scrutando simul ea omnia in philosophia naturali quæ hanc potentiam adaugere possint. Is enim vitam amat, mortem abhorret, et ut ulterius vivat voluntatem suam adstringit. Iuventuti sese restaurare, mortem omnino refrænare ac sistere utique nequit — immortalem se in

carnali ac sanguineo corpore reddere nequit, impedire tamen quominus artus obdurescant, unde senectus, in tam diuturnum potest tempus ut fidem excedat si memorem. Annus huic haud plus senectæ addit quam hora alteri. Voluntas sua scientiá exercitata in methodum, ut paucis absolvam, consumendis proprii corporis viribus moderatur. Ipse pergit vivere. Ne tamen portentum atque miraculum civibus suis videatur, semel iterumque *moritur*, simulate dumtaxat; atque quibusdam tantum. Prospicit quadam arte ut opum, quantum suis indigentiis sufficiat, transferatur, ipse ex una orbis parte evanescit, datque operam ut exsequiæ suæ rite celebrentur. In alteram orbis partem se recipit ubi non agnitus vitam ducit, nec priscas sedes suas revisit donec omnes quibus vultus suus cognitus erat dies deleverit. Is se miserrimum arbitratur si aliorum teneatur desiderio; at non tenetur nisi ipsius sui. Longævitatem suam nemo acceperit bonus, nec ulli, bono aut malo, vult aut potest secretum eius rei impertire. Homo istiusmodi exsistere posset; talem qualem descripsi habeo ante me nomine Ducis — in regia Regis —, ætatem inter luxuriam et tumultum, alchemicos sagasque agentem; dein iterum, sæculo superiori, fraus et malefactor, sub nomine minus nobili, incolendo domum quam hodie intuitus es, profugus a legibus quas violaveras, in loca nulli nota; viator Londinum iterum reviseras, iisdem terrenis cupiditatibus

quibus cor tibi imbutum fuit, quum generatio hasce vias plateasque frequentabat, quæ hanc vitam iam pridem obiit; exlex et extorris omnium scholarum, quæ mysteria sublimiora ac diviniora prosequi consueverunt, is tu ipse es. Te, exsecrabile simulacrum vitæ in morte; mortisque in vita, ex urbibus, aris focisque sanorum ac valentium hominum retrorsum te mando! retrorsum in rudera regnorum dilapsorum! retro in deserta civilitati humanæ necdum reddita!"

Susurrus mihi respondere videbatur numeris musicæ tam mire canorus ut omnia mea præcordia penetraret, meque invitum opprimere ac subigere cœpit. Hunc in modum fatus est:—

"Iam per sæculum tui similem quæsivi. Igitur te reperi, nec ab invicem divellemur donec quod cupiam sciam. Hac hora visione teneris quæ præterita intuetur, et quæ velamina futurorum penetrat, quæ te nunquam antea incessit, nec ad te unquam revertetur. Nec visio hæc est flebilis ac delirantis puellæ, nec ægri somnambuli, sed viri fortis, mentis acerrimæ. Evola sursum spectaque prorsum!"

Dum ipse loquebatur, mihi ceu alis aquilæ ex me exsurgere ipso videbar. Totum aeris onus dissipari, laquear conclavis, tectum tholi aerei evanescere sensi. Iam non in corpore latebam — sed ubi, ignorabam, supra tamen tempus, supra terram.

Susurrum sonorum iterum audire cœpi: "Recte

memoras; vi voluntatis summis potitus sum secretis. Recte mones, voluntate ac scientia cursum annorum retardare didici; at mors non ætate sola venit. Possumne casus, qui mortem inferunt, coercere?"

"Minime! Quisque casus fortuitus Deorum providentia est. Coram Deorum providentia omnis voluntas humana concidit."

"Moriarne denique post longinquam ab hinc ætatem temporum lenta sed ineluctabili maturitate, an causa quadam, quam casum appellas fortuitum?"

"Causá, quam casum vocas fortuitum."

"Nonne finis usque longe abest?" quærit susurrus leni tremore.

"Secundum tempus, ut mea id metitur vita, usque longe abest."

"Futurumne est ut ante id tempus in hominum mundo verser ut antea quam hæc arcana didici; ut acri desiderio eorum discriminum ferar ac vicissitatibus; ut cum ambitione collucter, et ad potestatem assequendam quæ regum est, potestate sapientum utar?"

"Futurum est ut hac in terra usque potestate fruaris, quæ hac in terra causa sit ingentis tumultús atque stuporis. Mira enim volvitas proposita, ipse quoque mirus impetrasti ut sæcula perviveres Cuncta quæ recondidisti arcana tunc usui erunt; cuncta quæ te modo his in generationibus te peregrinum

reddunt simul efficient ut eorum dominator evadas. Quemadmodum arbores iuxta cum paleis una in gurgitem rapiuntur, perinde ut ista in gyrum versantur, ac denique in ima absorbentur, et e voragine iterum in sublime iactantur, perinde sæcla hominum soliaque in tuum impellentur voraginem. Demolitor horrende! at ex demolitore te invito factus structor es."

"Illane etiam ætas procul est?"

"Est procul; quum appropinquaverit, tuum quoque interitum adesse scito!"

"Quonam modo, et qui is finis est? Circumspice ortum, occasum, meridiem atque septemtriones."

"In aquilone, quo pedem nunquam posuisti, regionem versus unde proprio impulsu te abstinuisti, spectrum te apprehendet. Id mors est. Navim cerno! Infestatur! pellitur! velis ferri pergit. Classes stupefactæ eam insectantur. Regionem illa glacialem intrat. Præternavigat cœlum meteoribus rutilum. Cautibus glacialibus duæ illucescunt lunæ. Cerno navim inter candidos anfractus; rupes eæ e glacie sunt. Cerno constratum cadaveribus sparsum."

"Tace," inquit susurrus. "Dies tamen is, ut me certiorem fecisti, procul est, valde procul! Nunc redibo ad amygdalos rosasque Damasci! Dormi!"

Conclave ante oculos meos fluctuare videbatur. Impos mei factus sum. Quum ad me redivi reperi G — manum meam tenentem ac subridentem. Sic is me

allocutus est: "Tu, qui te mesmerismo impervium gloriari solebas, auctore amico meo Richards eidem denique succubuisti."

"Ubinam est herus Richards?"

"Discessit quum tu in extasin raptus es his verbis: 'Amicus tuus intra horam non evigilabit.' "

Facultate denique ratiocinandi mihi restituta quæsivi ubi Richards habitaret.

"In Diversorio Trafalgar."

"Præbe mihi brachium, sis," rogo amicum G —. "Eamus eum visum; habeo aliquid ei dicere."

Eo nobis advenientibus nuntiatum est herum Richards viginti ante minutis reversum credita solvisse, iussisseque caculam Græcum res suas convasare, parataque omnia ad navim, quæ ex Southampton Melitam postridie solutura erat, devehi. Præterea herum Richards de suis nonnisi peregrinationibus locutum fuisse, debere se in vicinitate Londini varios visum ire, nec certo constare utrum postridie par esset Southampton, ad assequendam vaporariam in tempore adesse; quod si id minus posset, futurum esse ut per proximam iter carperet.

Pincerna nomen meum quæsivit. Eo reddito, notulam mihi tradidit ab hero Richards, casu quo venirem, mihi relictam.

In ea scriptum reperi in hunc modum:

"Volebam, ut quid tibi in animo esset, edissere-

res. Tu morem gessisti. Itaque potestatem in te adeptus sum. Per tres menses ab hodierno die, quid inter nos gestum sit, cum nullo mortalium communicare poteris. Hanc notulam ne amico quidem ad latus tuum monstrare valebis. Dubitas me hoc mandatum tibi iniungere posse? tenta obediantiam negare. Fine mensis tertii fascinum hoc solvetur. Cæteroquin tibi parcam. Post annum, diemque unum, sepulcrum, quod te receperit, visum ibo."

Sic ergo fabula hæc admodum insuete finem capit, quam ut credat, requiro neminem. Describo eam accurate post tres menses a notula accepta. Fabulam ante hanc scribere omnino nequivi, nec amico meo G —, maxime etiam sollicitanti, poteram hanc notulam ostendere.

FINIS.

MONILE

MONILE

IPSA una erat ex illis venustis ac scitulis fœmellis, quæ subinde veluti ex fatorum errore, in actariorum[1] familia nascuntur. Dote ipsa nullá erat prædita, nullis exspectationibus, nullis adminiculis fulta, per quæ alicui innotescere, ab aliquo adamari, ab aliquo opulentiori viro duci posset; quamobrem passa est ut a quodam exili in Administerio Educationis Publicæ actario duceretur.

Vestium ornatu płaniori utebatur, quod sumptuosiori nequibat, sed ob id tam infelicem se sentiebat, acsi de altiori vitæ statu esset revera delapsa; quandoquidem animo muliebri nullus est hominum ordo segrex, nullus primoratus; atque pulchritudo, venustas, et illecebræ formæ vices agunt generis ac prosapiæ. Naturalis subtilitas, instinctus innatus cognoscendi quid elegans sit, atque tractabilitas ingenii

1. *Actarius* potius scribendum quam actuarius, ut inter duo vocabula discrimen statuatur: prius enim *scribam* qui *acta* scribit, posterius autem *navim* denotat.

sola sunt hierarchia quæ mulieres etiam tenuissimæ sortis, pares efficit matronis ordinis optimatum.

Quoniam se ad omnes delitias luxumque natam arbitrabatur, nunquam non dolore afficiebatur. Dolorem capiebat e paupertate sui habitaculi, e misera parietum inanitate, e trito aspectu sellarum, e turpi simplicitate sipariorum.[1] Cuncta horum, quæ animum vix alterius mulieris suæ sortis subivissent, hanc immaniter vexabant, et in iram concitabant. Aspectus rusticulæ Britannicæ, quæ humile opus suum domesticum perficere solebat, suscitabat in animo eius desideria, quæ erant ad desperandum, erantque somnia delirantis. Ipsa de atriis somniabat Persicis tapetibus superbientibus, luminaribus, celsisque candelabris æreis illustribus, item de duobus caculis[2] genuum tenus braccatis, qui in grandibus artiselliis, calore diætæ furno subterno formidæ sopiti dormitarent. De spatiosis exedris, antiquá sericá undique pendenti decoris ipsa somniabat, item de delicata supellectili podiisque artium curiositates, supra omne pretium, ostentatibus, atque de recessibus, ad colloquendum cum selectis amicis horá quintá adaptatis, viris nempe celebribus, multumque optatis, qui invidiam omnium mulierum excitarent, et quorum notitiam omnes concupiscerent.

1. Vela reticulata fenestrarum.
2. *Cacula*, *-æ*, m., est famulus a persona domini.

Quum mensæ rotundæ, linteo per triduum non mutato opertæ, e regione mariti accumberet, qui operculo catini sublato veluti fascinatus exclamabat, "En præclaram bubulam liquaminatam! Nihil equidem hoc præstantius novi," ipsa delicatas epulas, micantia argentea, tapetes, quæ figuris hominum antiquorum parietes circum complerent, atque avium insolitarum, in fabulosis sylvis circumvolitantium, meditabatur; item de dapibus cogitabat, in ferculis lancibusque miris supportatis, atque de lepidis susurris, qui vultu sphingato subrisu silenti excipitur, dum interea carnem manduces punicatam tructæ, aut alas coturnicis.

Ipsa ornatu indumentorum ac monilium prorsus carebat. Atqui ipsa hæc sola, nihil aliud in pretio habebat; se ita natam existimabat. Quantopere etenim cupiebat placere, invideri, fascinare, appeti.

Habebat quandam amicam, suam quondam in conventu nonnarum condiscipulam, quæ opulenta erat, quam tamen iam non solebat visere, quod ab ea redux semper acerbum egestatis dolorem concipiebat.

Aliquo tamen vespere maritus suus triumphali quodam aspectu domum venit, involucrum[1] grandiusculum manu gestans.

1. Est operculum, quo litteras obtegimus, atque cui titulum inscribimus.

"En," fatur ille, "tibi aliquid."

Ipsa chartam avide carpit, eximitque schedulam impressam, quæ sequentia verba ferebat:

"Administer Educationis Publicæ, uxorque sua Georgia Ramponneau, societate Heri Heræque Loisel, in palatio Administerii, die Lunæ vesperi, duodevigesimo Ianuarii, cohonestari flagitant."

Loco magnopere lætandi, ut maritus exspectabat, invitationem contemptim in mensam mussitans deiecit:

"Quid me vis ea re facere?"

"Quin, mea chara, ego tibi gratum futurum existimavi. Etenim tu raro prodis, prohinc istud perquam opportune advenit. Summo id labore effeci. Nemo est quin eo ire cupiat; turba selectissima est, nec invitationes idgenus in actarios effundunt. Omnis officialium mundus intererit."

Ipsa eum oculis contuetur irritatis, minusque patienter fatur:

"Et quanam re me amiciam vis?"

Hac de re non se cogitasse fassus, ait:

"Ehem, indumento, quo induta theatrum visere soles. Mihi quidem præclarum paret."

Uxorem flentem quum conspexisset, desperatus conticuit. Duæ lacrymarum guttæ largiores ex angulis oculorum adversum angulos oris lente cadebant. Ipse balbutiebat:

"Quid rei? Quidnam rei est?"

Magno denique conatu dolorem repressit, et genas detergens madidas, voce placida respondit:

"Nihil. Attamen indumento careo, prohinc ballistia[1] ea adire nequeo. Dona schedulam tuam collegarum alicui, cuius uxor melius quam tua ornatu instructa est."

Ipse prope desperabat. Tamen prosequitur:

"Ausculta modo, Mathilda, rem perpendamus. Quantinam constaret amictus idoneus, cuius et aliis occasionibus usum capere posses, aliquid minime sumptuosi?"

Uxor pauca momenta rem reputabat, simul etiam secum ratiocinata, quam summam posset memorare quin subitaneam repulsam ferret, perterritamque exclamationem parci ærarii eliceret.

Tandem dubitabunda respondit:

"Nescio pro certo, existimo tamen me quadringentis çentussibus rem componere posse."

Ipse paululum expalluit, quod ipsam eam summam comparcatam habebat, qua sclopetum[2] sibi emeret, æstateque secutura, in planitie Nanterrena cum aliquot amicis, qui nuperno die Solis ad iaculandas

1. *Ballistia, -orum,* est actus *ballandi,* saltandi, choræarum.

2. Arma ignifica, iaculatoria sive militaria, sive venatica.

alaudas eo excurrerant, oblectationem venandi pararet.

Tamen sic respondit:

"Esto. Dabo tibi quadringentos centusses. Conare scitulum indumentum præstinare."

Dies ballistiorum interea appropinquabat. Hera autem Loisel tristis, sollicita, pendensque animi esse videbatur. Attamen indumentum suum erat paratum. Maritus eius quadam vespera sic eam affatur:

"Quidnam, rogo, rei est? Tam insolitam te hoc triduo præbuisti?"

Ipsa respondit:

"Molesto fero me omni omnino monili destitui, ne unum quidem lapidem pretiosum possideo, quo me ornem. Miserum aspectum præbebo. Vel ne participare quidem malim."

Prosequitur ipse:

"Licebit floribus naturalibus tibi te ornare. Hoc anni tempore admodum moris est iis uti. Denis centussibus ternas quaternas rosas commode tibi comparabis."

Ipsa minime erat persuasa.

"Nequaquam; nihil est indignius quam speciem prodere paupertatis in medio aliarum mulierum, quæ divites sunt."

Maritus tamen exclamat:

"Quam stultam te præbes! I, vise amicam tuam,

Heram Forestier, rogaque eam ut aliquot lapides pretiosos tibi commodet. Satis arcta inter vos necessitudo intercedit, ut hoc ab ea impetres."

Læta exclamat illa:

"Vera memoras. De hoc ne cogitavi quidem."

Postridie amicam adit, eique suam patefacit egestatem.

Hera Forestier ad armarium cum valvis vitreis accessit, indeque largiorem dactylothecam retulit, pandit eam, sic Heram Loisel affata:

"Selige tibi, mea chara."

Primum armillas aliquot in ea conspexit, tum monile unionum[1] dein crucem Veneticam auream cum gemmis faberrime factam. Ornamenta prius ante speculum sibi aptare tentabat, hærens dubitabunda, nec sibi persuadere poterat ut ea deponeret ac redderet. Interea dictitabat:

"Nihilne plus habes?"

"Quin et alia habeo. Videdum. Nescio quid malis."

Subito in capsula nigra holosericea eximium monile speculabatur adamantum, protinusque cor suum febricitare aviditate cœpit. Manus sibi id attrectanti tremebant. Gulæ suæ idem celeriter circumligat ex-

1. Margaritæ solitariæ.

tra collare indumenti, atque sic, admirationi diu immersa perseveravit.

Tum dubitabunda, angoreque inquieta, quæsivit:

"Poterisne id solum mihi commodare?"

"Utique potero."

Hoc audito ipsa in brachia amicæ suæ se coniecit, eam flagranter deosculata thesauro suo domum avolavit.

Dies denique ballistiorum advenit. Hera Loisel ingentem successús triumphum reportavit. Venustate cæteras omnes superavit, elegans, gratiá nitens, ore renidens, felicitate prope dementata. Viri cuncti eam mirabantur, nomen sciscitabantur, eique sisti cupiebant. Nulli non legativi[1] Administerii cum ea saltitare conabantur. Ipsi adeo Administro innotuit.

Saltabat autem ipsa tamquam voluptate ebria, affectibus abrepta, gaudiis temulenta, in triumpho suæ pulchritudinis, in gloria sui successús, veluti nube beatitudinis, ex omni hac assentatione, admiratione, suscitatis desideriis, ac denique, e conscientia gloriæ agnitæ victoriæ, omni cordi muliebri tam chara ac pretiosa, prorsus suffusa et obruta, omnium rerum erat immemor.

1. *Legativus, -a, -um,* quod ad Legationem pertinet. Latinitate Diplomatica, ad nostra usque tempora viros diplomaticos Legationum "Adlatus," indeclinabiliter, atque "Adiunctos" appellare soliti sunt, unde Franci suum "ad taché," *attaché,* cuderunt.

Sub horam circiter quartam matutinam tantum discessit. Maritus suus inde a media nocte in quodam cubiculo inani dormiebat, iuxta cum aliis tribus viris, quorum uxores interea lautitiis frui perrexerunt.

Ipse denique evocatus, amictum, satis humilioris generis vitæ quotidianæ, domo allatum, humeris uxoris circumiecit, aspectus tamen vilior eius vestis non parum adversabatur novitati indumenti ad hæc solemnia præstinati. Eam hoc non præterivit, quapropter et conabatur aspectum cæterarum mulierum, quæ pretiosis pelliceis sese amiciebant, ne animadverterent, evadere.

Loisel eam demorabatur.

"Exspectadum paulisper. Foris frigus contrahes. Iam accersam pilentum meritorium.[1]

Ipsa tamen nihil pensi faciens per gradus celeriter decucurrit. In via circumspectantes, nulla vehicula viderunt; itaque anquirere cœperunt, clamore insectati pilentarium e longinquo prætereuntem. Deorsum Sequanam versus itabant, frigore trementes. Tandem ad crepidines repererunt examplar antiqui pilenti noctambuli, quod genus revera sic agebat, quasi miseram suam speciem interdiu se prodere puderet, nec circa Lutetiam ante solis occasum se ostentare auderet.

1. Utrumque Romanum. Vehiculum leve, pretio conductum quo domum veherentur.

Pilentum eos ad ostium usque suum devexit. Viá Martyrum, ubi, iterum domi, scalas solitas tristes conscenderunt. Uxor hinc cuncta vitæ oblectamenta deleta sensit. Vir autem, quoad se, satis meminit sibi in Administri officina horá decimá adesse oportere.

Ipsa ante speculum, postremo, vel semel suam gloriam lustratura, amictum, quo tegebatur, exuere cœpit. At subito clamorem eddidit. Iam monile non erat circum collum!

Maritus iam semi-exutus severiori voce quærit:

"Quidnam rei tecum est?"

Ipsa succensa, se ad eum vertit:

"Pro! ego — ego — ego, inquam monile Heræ Forestier amisi."

"Quid! — quínam? Esse non potest!"

Dispexerunt quærentes in sinu indumenti, in sinu amictús, in sacculis, ubique. Nusquam repererunt.

Maritus sciscitabatur:

"Certene tibi constat monile te usque gessisse quum finem saltando fecisses?"

"Ita, sane, ex ipso vestibulo palatii egrediens me id usque habere sensi."

"Sed si in via cecidisset, sonum cadentis audissemus. Oportet id in pilento esse."

"Ita verosimile est. Numerumne eius notasti?"

"Non feci. Et quid tu, tune notasti?"

"Nec ego."

Quasi fulmine icti stabant, invicem aspectantes. Denique Loisel se induit.

"Ego," inquit, "per pedes totam viam redibo, per quam domum vehebamur, perscrutaturus, si quo modo monile invenire possim."

Hoc dicto prodiit. Interea ipsa in novo suo indumento in sella præstolabunda sedebat, cubitum ire viribus impar, calamitate obruta, sine foco, inops consilii.

Maritus circa horam septimam rediit. Reperit nihil.

Peragravit Decuriam Lictorum, officinas diurnorum, ad præmia offerenda; adivit officinas pilentarias — quaquaversum, ubicunque vel umbram spei suspicari quivit.

Ipsa totum diem eodem in statu, ob tam trucem calamitatem metu sævo lacerata exegit.

Loisel sera vespera vultu pallido et enervato domum venit; nusquam reperit quidquam.

"Scribas oportet," inquit uxori, "amicæ tuæ, dicesque fibulam monilis te casu fregisse, et nunc eam reparari curare. Tempus eo modo nanciscemur, quo nos circumvertere queamus."

Sic scripsit ipsa, marito dictante.

Exacta una septimana, omnem spem deposuerunt.

Loisel autem, qui interim quinos annos consenuit, sic denique ait:

"Videndum nobis est, quí monile illud alio compensemus."

Postridie itaque sumpta capsa quæ monile ferebat, adiverunt gemmarium, cuius nomen in ea reperiebatur. Hic suos libros consultabat.

"Non ego, mea Hera," ait ille, "monile vendidi; me capsam tantum suppeditasse verosimile est."

Dehinc ab uno gemmario ad alium peregrinabantur monile quærentes alteri simile, memorias suas consulentes, ambo ægri indignatione et angore.

Tandem repererunt in gemmaria quadam in Palais Royal, fasciam adamantum, quæ simillima deperditæ esse ipsis videbatur, qualem quærebant. Hæc autem valebat quadraginta millia centussium. Præstinari tamen poterat sex et triginta millibus.

Rogarunt itaque gemmarium, ne eam intra triduum venderet. Præterea et impetrarunt ab eo sponsionem, ut si alterum monile ante exitum Februarii reperissent, quatuor et triginta millibus suum redimeret.

Habebat Loisel duodeviginti millia centussium, quæ a patre in hæreditatem acceperat. Reliquam summam in mutuum accepturus erat.

Petivit profecto in mutuum mille centusses ab uno, quincentusses ab altero, quinos ludoviceos hic, ternos alias. Syngraphos edidit, onera assumpsit intoleranda, egit cum fœneratoribus, et omnigenis fœnerariis. Totam reliquam vitam suam aleæ commisit, obligationes periclitabatur incertus utrum eas etiam

unquam redimere posset; territus porro angustiis modo secuturis ex tæterrima indigentia, quæ eum assecutura erat, ex egestate materiali exspectanda, perinde atque ex angustiis et angoribus animi, quos supervenire necesse erat, gemmarium denique adivit monile præstinatum, denumeratis in pluteo gemmarii sex et triginta centussium millibus.

Quum Hera Loisel monile Heræ Forestier retulit, ipsa frigide regessit:

"Longe ante decebat te reddere, egere enim eo poteram."

Capsulam non aperuit, quod sua amica adeo verebatur. Quid enim ipsa cogitasset? quidque dixisset, si alterum monile suo suppositum animadvertisset? Annon Heram Loisel furti ream existimasset?

Hera Loisel modo miseram sortem egentium iam intelligere cœpit. Ipsa, insuper, suam partem improvisam ac subitam forti animo accepit. Debitum illud terribile solvendum est. Etiam solutura ipsa est. Famulam dimiserunt; habitaculum mutaverunt; subteglinum[1] conduxerunt.

Didicit interea quid ardui labores domestici essent, quid sordidæ curæ culinæ. Ipsa lavabat vasa cibaria, propriis rosaceis unguibus ad purgandas ollas sartaginesque pinguedine squalidos adhibitis. Ipsa

1. Habitaculum sub tegulis tecti.

lavabat vestes sordidas, subuculas,[1] sábana, manutergia, quæ in funiculo siccavit; quoque mane colluviem in incile[2] deportavit, aquamque supportavit, quoque graduum fastigio spiritum haustum subsistens. Induta præterea plebeio more, ipsa tabernas frequentavit olerarias, victuarias, macella, quasillum in brachio gestans, arilata[3] ubique, nec raro contumeliis lacessita, suam pecuniam libellatim[4] tuebatur.

Quoque mense aliquot syngraphæ tegendæ, aliæ novandæ erant, atque novi termini impetrandi.

Maritus vespertinis temporibus transcribendis libris rationalibus mercatorum occupabatur, seris autem noctibus manuscripta aliorum denario paginatim transcribere consuevit.

Istud autem vitæ genus denos annos duravit.

Exacto decennio cuncta ad teruncium solverunt, cuncta cum fœnore, atque cum anatocismo.[5]

Hera Loisel nunc iam senex erat aspectu. Mulier facta est domestica familiæ egentis — fortis, dura ac rudis, comá incompta, supparo[6] obliquato, manibus

1. *Subucula*, -*æ*, vestis lintea virorum interior, quæ sæpe lavari solet. *Sábanum*, quo vultum, *manutérgium*, quo manus tergemus.

2. *Incile* est extra tramitem, in via, ubi aquæ in cloacam decurrunt.

3. *Arilor*, cum mercatore de pretio discepto.

4. *Libella*, est una centesima unius libræ argenti, quocunque genere pecuniæ ultima et minima unitas, minimus nummus.

5. Usura usuræ.

6. Vestis mulierum a lumbis ad calces.

rubris, voce elata et aspera locuta dum tabulatum magnis aquæ sibilis lavabat. Alias, quum maritus in officina fungebatur, ad fenestram subinde consedit, in mentem sibi revocabat memoriam illius hilaris et iucundæ noctis dudum præteritæ ballistiorum, in quibus ipsa tam pulchra fuit, tamque celebrata.

Quidnam evenisset si monile illud non amisisset? Quis dixerit? quis tandem dixerit? En quam singularis, quamque mutabilis vita est! Quam parum causæ sufficit ad nos perdendos aut servandos!

Quodam vero die Solis, quum ad vires suas, post exantlatos septimanæ labores reficiendas, ambulatum in Campum Elysium prodivisset, subito mulierem prolem suam secum ductantem, animadvertit. Hera Forestier ea erat, usque iuvenilis, usque venusta ac scitula.

Hera Loisel animo mota est. Anne eam alloquatur? Prorsus sic. Nunc, postquam pretium monilis exsolutum est, id totum ei narrabit. Ut quid non?

Accessit ad eam.

"Salve, mea Ioannula."

Illa prorsus stupens, quod mulier tam plana, tamque domestica, se ita familiariter affata esset, igitur contuita eam est, nec agnovit, proin sic balbutiebat:

"At — Hera mea! ego non te novi — Errasse te oportet."

"Neutiquam. Mathildæ Loisel mihi nomen est."

Illa mirabunda exclamavit.

"O, mea misella Mathilda! Quantopere mutata es!"

"Ita, profecto, tempora certe ardua pertuli ex quo te ultimo conveni, tempora sane miserrima — et hæc propter te!"

"Propter mene? Ecquí?"

"Meministine monile illud adamantinum, quod tu mihi ad gerendum in ballistiis Administri commodaveras?"

"Sic. Tum?"

"Ego id amisi."

"Quid innuis? Tamen id domum retulisti."

"Aliud retuli, illi simillimum. Huius pretium usque modo minutatim solvebamus. Ut facile intelliges, id factu nobis, quippe qui nihil habebamus, haud erat facile. Denique perfecimus, et nunc gaudeo admodum."

Hera Forestier constitit.

"Aisne tu monile adamantinum vos in locum mei emisse?"

"Sic fecimus. Proinde tu id nunquam animadvertisti! Illa enim inter se perquam similia erant."

Et ipsa subrisit cum voluptate, quæ superbiam iuxta ac puerilem animum prodebat.

Hera Forestier, animo vehementer mota, ambas eius manus prehendit:

"O, misellam meam Mathildam! Atqui monile meum ex pasta vitrea erat. Valebat autem, ad summum, quingentos centusses!"

F I N I S.

OSTIVM CL. V. DE MALETROIT

OSTIUM CL. V. DE MALETROIT

DIONYSIUS DE BEAULIEU annum ætatis suæ vigesimum et alterum necdum expleverat, adultis tamen se annumeravit, et, insuper, etiam equestellorum[1] loco se habuit. Iis etenim temporibus austeris ac bellicosis catulastri[2] maturius in virilitatem formabantur; et siquis eorum unquam comminus pugnaverit, incursionum aliquoties particeps fu-

1. *Equestellus*, *-i*, vocabulum cusum e Romano *equester*, quia ex *eques* nihil derivari potest. Significare autem per id volo ordinem Medii Ævi socialem, quem Neo Latini etiam longe ineptius ex *caballo* conabantur deducere, velut *caballero*, *cavallero*, *chavallier*, *chevalier*, equester, hoc autem Ordo Equitum Romanorum significabatur ut tum vigebat in Europa, aut etiam alios quoslibet optimates, aut etiam alios, ex plebe, qui aut Equitum more se gerebant, et eandem æstimationem publicam meruerunt, aut saltem affectabant; hi omnes etiamnum *cavalleri*, aut *chevalieres* vulgo appellantur.

2. *Catulaster*, sive *catlaster*, est Romanum, valetque idem atque *hircitallio;* deductum a *catulo*, quo parvuli leones, tigrides aliæque bestiæ designantur; iuveni viro applicitum idem sonabit quod in linguis modernis *leo*, i. e., iuvenculus suas virtutes iactans, ad captandam apud mulieres gratiam.

erit, ac suum denique virum quisque in honesta pugna interfecerit, item si artis belligerandi mediocriter gnarus fuerit, atque genus humanum noverit, ei in incedendo quandam iactantiam nemo est quin concedendam iudicet. Hic suum equum debitá curá loricavit, iusta deliberatione cœnavit, tum, circa crepusculum, iucundissimo animi statu aliquem visum prodiit. Id tamen ex parte iuvenci nostri haud fuit cœptum sapientissimum. Satius profecto ipsi fuerit domi, iuxta focum mansisse, probeque cubitum ivisse. Enimvero oppidum copiis sub ducibus promiscuis, Burgundiorum Anglorumque scatebat; ac tametsi Dionysius illic sub salvo conductu morabatur, suus tamen salvus conductus casu conflictús fortuiti parum sibi profuturus erat.

Mensis agebatur Septembris, anni millesimi quadringentesimi undetrigesimi; cœli temperies asperior fiebat, ventus impetuosior, sibilans, imbribus gravidus oppidum percursabat; folia autem delapsa in viis perstrepentia volitabant. Passim aliquot fenestræ iam collustratæ erant; clamor armatorum, intus, supra cœnas laute agentium, foris minutatim audiebatur, vento subinde haustus et abreptus. Nox celeriter cecidit; vexillum Angliæ, de vertice turris fluctuans plus et plus sub umbra labentium nimborum obscurabatur — merum punctum atrum instar hirundinis, in plumbeo cœli chao. Nocte altius mergente ventus

oboritur, in fornicibus mugire, in valle autem sub oppido, inter comas arborum boare cœpit.

Dionysius celeriter incedebat, et mox ostium amici pulsabat; at, licet sibi promiserit parum ibi se moraturum, matureque reversurum, exceptus tamen tam humaniter est, totque causas ibi reperit, quare moraretur, ut iam media nox pridem præterivisset, quum in limine valediceret. Interea ventus iterum cecidit; nox tam erat atra quam sepulcrum; nulla stellula, ne vel radiolus quidem lunæ nubium moles penetrabat. Dionysius ambages angiportuum Castelli Landon vix ac ne vix quidem novit; quin et interdiu viarum meatus haud facile enodare quibat; in hac autem caligine nox eum omnino deperdidit. Unum tantum sibi plane constabat — semitam sursum collem se sequi oportere; quod domus sui amici in inferiori declivitate Castelli Landon sita erat, diversorium autem superius stabat, a capite, ad radices celsæ turris templi. His ductus indiciis prorsum conabatur cœcutiens et cæspitabundus, aurá liberius haustá quoties in loca aperta perveniret, ubi cœlum visui amplius pateret, subinde aere spissiori secundum muros palpando iter carpebat. Status idgenus cuiuslibet viatoris anceps, mysteriique plenus existimandus est, cui in loco prope ignoto, in cœcis tenebris versari contingat. Silentium infinitarum rerum possibilium mater, terribile est. Sic ferrea fenestrarum clathra

algida manui palpanti æque terrifica sunt atque attrectatio bufonis; viæ scruposa asperitas cor viatoris in faucem sursum agit; quisque locus spissiori caligine obumbratus insidias, aut voraginem in via minitatur; ubi autem aer luculentior est, domus vicinæ figuras insolitas sinistrasque induunt, acsi eum a via sua abducere minentur. Dionysio etenim, in diversorium suum sine notitia publica pervenire enitenti, et verum periculum, et molestia in itinere sublatebat; tamen fortiter et audacter progrediebatur, quoque tamen angulo ad circumspiciendum moratus.

Iam per aliquod tempus Dionysius in angiportu itabat tam angusto, ut muros alterutra manu attingere posset, quum, denique, angiportus dilatari, acriterque in declive ducere cœpit. Manifestum iam nunc erat viam hanc non suum diversorium versus tendere; exspectatio tamen plusculi luminis eum prorsum tentabat ad explorandum. Angiportus in fastigio desinebat, muro pinnato clauso, unde inter celsas domos, tamquam ex sepimento conspectus in vallem informem et opacam aliquot centena pedum infra propansam patebat. Dionysius deorsum spectabat, videbatque summos aliquot arborum vertices oscillantes, unumque lucidiorem locum, ubi fluvius planitiem pecurrebat. Tempestas iam clarescere incipiebat, cœlumque serenascere, ut iam margines nubium cumuorum, lineamentaque collium discernerentur. Lumi-

ne diluculi incerto ædes ad lævum suum conspicatur, quæ in aliquo numero esse videbantur; muri enim earum pinnis turriculisque eminebant; e summa ædificii mole posticum sacelli pluribus erismatibus[1] munitum acriter prominebat; ostium autem ædificii sub profundo fornice occulebatur, cuius exteriora figuris in lapide incisis, superne autem duæ imbrices draconteæ impendebant. Fenestræ sacelli, vitris pictis, quadraturisque[2] multiplicibus obumbratæ, lumen prodebant tamquam plurium cereorum,[3] quo fiebat ut et erismata, et apicatum[4] tectum eo acriori caligine ad versum cœlum eniterent. Satis erat manifestum ædes has domicilium esse familiæ cuiusdem potentioris regionis vicinæ; quum vero eædem in mentem Dionysii proprii domicilii Burgis revocaret, substitit, ac paulisper sursum spectabat, secumque artem architecti pensitabat, duasque has familias recensebat.

E septo fastigio nullus exitus videbatur patére præter angiportum, qui eo ducebat, nec fieri quidquam poterat, nisi ut eadem via qua venerat, rediret, sed ubi modo esset, quadam ratione sibi fingere videbatur, proin usque sibi confidebat viam præcipuam

1. Fulcimenta lapidea murorum, præsertim templorum, ornamenti potius quam utilitatis causa adiecta.

2. Pars fenestræ, imaginis, speculi, lignea, aut metallica quæ vitrum, aut imaginem, complectitur ac tuetur, sæpe inaurata.

3. Candelæ ex cera, ut in aris hodiedum adhibentur.

4. Quod in apicem excurrit, acuminatum, cuspidatum.

hoc modo se assecuturum, suoque diversorio potiturum. Sic ipse secum coniectabat, quin casuum fortuitorum qui incidere possent, rationem habuisset, quorum unus hanc noctem omnium maxime in suæ omnis vitæ curriculo memorabilem reddidisset; namque vix centum passus retrorsum cessit antequam lumen conspexit adversum se appropinquans, vocesque in his angustiis vicissim reverberantes audivit. Caterva erat hominum armatorum vias noctu tædis obeuntium. Dionysius statim coniectebat hos vinum paullo liberius ingurgitasse, nec proinde salvis conductibus admodum detineri, aut vero leges honesti belli maximi facturos. Æque ambiguum erat utrum se non canis instar decuterent, ibique ubi lapsus esset relicturi essent. Status itaque rei satis concitatus, etsi non sine angore, fuit. Eorum tædæ, ut ipse putabat, se ab eorum visu tuerentur; item futurum sperabat ut eorum vociferatio sonitum gressuum suorum absorberet. Si modo ipse satis agilis silensque esset, existimabat se eorum notitiæ omnino subducere posse.

Malá quadam fortuná, quum ad recedendum se verteret, pedem maiori silici offendit; edito clamore, muro illabitur, ensis autem suus magno strepitu pavimento alliditur. Protinus voces duorum aut trium audiebantur quærentium, quis illic esset — aliquæ Francice, aliæ Anglice; Dionysius tamen nihil respondit, eoque celerius deorsum currere perrexit. Fasti-

gium nactus, ad respectandum constitit. Illi usque sciscitabundi in se inclamitabant, ac nunc demum acclerato gressu se insectari cœperunt, non sine magno strepitu armorum, tædarumque huc et illuc in angusta fauce iactatione.

Oculis denique circumlatis, Dionysius in fornicem ostii suffugit. Illic enim notitiam effugere poterat, aut vero — si hoc minus — loco se reperiebat capitali, unde licebat aut negotiari, aut certe se defendere. Sic statuto, ensem evaginavit, tentavitque tergum suum ostio applicare. Præter omnem exspectationem ostium moli corporis sui cessit; ac, licet ipse extemplo se vertisset, ostium in cardinibus bene unctis silens ulterius verti perrexit, et cum opaco hiatu propansum stabat. Quum homini in angustiis res prospere cedunt, exspectandum non est eum magnopere pensi habiturum quí et quare res evenerint, commoditas propriæ personæ sibi satis causæ videri solet, quare etiam maxime insoliti eventus rerum in hoc sublunari mundo nostro contingant; unde Dionysius sine momentanea dubitatione locum hiantem ingreditur, et ad suffugium suum celandum ostium pone se ex parte clausit. Nihil sibi a mente adeo fuit alienum quam ostium penitus claudere; aliquo tamen prorsus inexplicabili modo — choragio[1] fortasse aliquo

1. Est plerumque spira, sive filum, aut talea chalybeia, retorta, quæ quum se erigere, aut in locum recellere conatur, rem aliquam impellit, et in motum agit, uti in horologio.

aut pondere — ingens querna moles digitos suos elusit, postibus obvolvitur, ingentique clangore, tamquam si claustrum automaticum cecidisset, sua sponte clauditur.

Vigiles eodem tempore in fastigium cœcum se effuderunt, clamoribus ac maledictis eum appellantes. Ipse eos in opacis angulis scrutantes audivit; quin extremitas manubrii lanceæ etiam in exteriori superficie ostii, pone quod ipse stabat, perstrepere audiebatur; at hi eximii homines nimis lauto erant spiritu quam ut se diu demorari sinerent, moxque per callem tortuosum, qui attentionem Dionysii fefellerat, e medio se sustulerunt, ac pedetentim e visu audituque per muros oppidi evanuerunt.

Nunc Dionysius iam liber respiravit. Pauca minuta gratiæ eis concessit, nequid accideret, post quæ palpando quæritabat si quo modo ostium recludere, et effugere posset. Superficies ostii interior tamen omnino erat plana, nusquam ullus capulus, ansa, ruga, aut obex. Unguibus rimas tentabat, at moles ingens movenda non erat. Quassare tentabat, at quercus velut rupis erat firma. Dionysius de Beaulieu frontem rugare cœpit, lenique sibilo se solari. Quidnam rei cum hoc ostio? mirabatur. Curnam erat aperta? Quínam factum est ut pone se tam facile ac tanto cum effectu clauderetur? Hic aliquid obscuri et clandestini circa hæc omnia sublatere necesse erat, quæ iuve-

ni non admodum arridebant. Technas hæc redolebant; et tamen in tam quieta seclusaque via, in ædibus tam prosperis, imo et nobilibus aspectu, quisnam dolum suspicetur? Et tamen — sive technæ sive non, sive datá operá, sive casu — hic ipse erat pulchre captus; ac ne pretio vitæ quidem illinc eluctari se posse sensit. Etiam caligo eum obruere ac deprimere cœpit. Itaque ad auscultandum se convertit; foris altum erat silentiam, sed ab interiori, et prope quidem, sonum submissi suspirii, susurrum singultus clandestini stridoris — acsi multi sibi vicini silentio se continerent, ipsumque adeo spiritum furtim ducerent. Hæc res sibi ipsa præcordia penetravit, unde cum impetu ad se rediit, veluti cui vita in discrimen venisset. Nunc demum radiolum luminis e regione oculorum animadvertit e penetralibus manantem — radiolum lucis filo similem, in extremo se expandentem, qualis inter rimas superioris ianuæ inter alas aulæi emanare posset. Conspectus cuiuscunque demum rei Dionysio levamini fuit; tamquam solum sub pedibus cuiquam in palude versanti, solidum Dionysio erat; avido animo se ei applicuit, aliquem conatus sibi conceptum de rebus se circumdantibus coniectare. Manifestum erat inter solum in quo ipse stabat, fontemque radii luminis, aliquot gradus interesse; ac, profecto, etiam aliud filum luminis, tenuitatis acús, phosphorique instar languidi. se deprehendisse sibi fingebat, quod,

profecto, ab æreis cancellis graduum reverberari facile credi poterat. Ex quo intellexit se non esse solum cor sibi violento pulsu, pæne ad suffocandum, palpare perrexit, animumque ad summum ardorem quidquid demum audendi suscitavit. Persuasum nunc sibi erat se in vitæ discrimine versari. Quid itaque debebat naturæ magis consentaneum videri, quam ut gradus protinus ascenderet, aulæum revelleret, fataque sua extemplo coram cognosceret? Si nihil aliud, saltem cum rebus ageret attrectabilibus; atque saltem in tenebris non esset. Brachiis proinde porrectis lente progrediebatur, usquedum pedes in infimo gradu offendit; inde celeri gressu ascendit, ad se componendum constitit, ac, denique, relevatis aulæis, in aulam ingressus est.

Locus in quem pervenit ampla ac spatiosa aula erat ex lapidibus lævigatis. Tria erant ostia, unum a singulis trium laterum; cuncta in eundum modum aulæis ornata. A quarto latere duæ amplæ fenestræ patebant, inter quas ingens caminus cum insignibus stirpis Malétroit decorus, locum occupabat medium. Dionysius statum rerum protinus agnovit, nec parum lætabatur quod in tam egregias manus incidisset. Aula præclari modo erat illustrata; supellex tamen paullo parcior esse videbatur, quippe quæ e gravi mensa, vix binis ternisve sellis constabat, sed in foco nullus ignis conspiciebatur, solum autem la-

pideum scirpis, per aliquot dies iam tritis, constratum erat.

Rectá ex adverso ingredienti Dionysio, iuxta caminum, in celso artisellio vir sedebat senex, pelliceo focali amictus. Sedebat autem crure uno alteri superiecto, manibus iunctis, calice vini aromatibus condíti in pluteolo ad parietem. Vultus eius aspectu perquam masculinus erat, non adeo hominis proprius, quam idgenus quem in tauro, hirco, vel in verre solemus videre; aliquid ambigui et assentatorii; aliquid avari, atrocis atque perniciosi. Labium superius præter morem erat crassum, quasi ex ictu, aut ex dentium dolore tumidum; dein risus ille, supercilia cacuminata, oculique pusilli acresque aspectum præbebant curiosum ac fere comice male ominantem. Decori cani e capite undique pendebant, tamquam sancti alicuius, omnesque in singulo cirro in focale defluebant. Barba mystacesque suæ decori erant indices venerabilis suavitatis. Senectus, haud dubie propter singularem curam, nulla vestigia in manu eius reliquit; manus etenim stirpis Malétroit semper fuit clara. Difficile esset quidquam tam carnosi, simul et figurá tam delicati sibi fingere; digiti leniter in tenuitatem desinentes procacitatem digitorum muliebrium a Leonardo pictorum æquabant; radix pollicis clausi minutam lacunam in ruga exsurgenti efficit; ungues in figuram perfectam erant formati, albedine prorsus

insolita. Quod quisquam huiusmodi manibus, virginis martyris instar — pietate quadam religiosa eas iunctas servet — quod quisquam tam intento conspectu atque mirificis vultûs lineamentis patienter sedeat, hominesque oculis fixis contempletur tamquam Deus, aut statua Dei, huius aspectum decies magis formidolosum reddidit. Quies eius ironica ac subdola videbatur, nec aspectui eius conformis.

Talis erat Alain, Clarissimus Vir[1] de Malétroit.

Dionysius atque ille per pauca momenta se invicem contuebantur.

"Velis, rogo, intrare," fatur denique Domnus[1] de Malétroit. "Tota vesperá te exspectavi."

Interea non surrexit, sed verba subridens protu-

1. Plerumque abbreviatur in *Cl. V.*, vel *C. V.*, *V. C.*, quod apud Romanos titulus laudis fuit, sed *V. C.* etiam idem valebat ac *Vir Consularis*, titulus statûs et dignitatis. Ævo tamen Medio titulus hic factus est formalis ordinis, nobilitatis, iunctim cum *de*, et Ablativo loci eius in quo rex viro nobilitato fundos, aut latifundia concessit, sic factus est iste titulus formalis, *Clarissimus Vir de Malétroit*, quod Latine idem sonaret ac "de male angusto."

2. Vocabulum *dominus*, quod Romanis proprietarium domûs significabat, mox de possessore cuiuscunque rei accipi solebat, dein de tyrannis et usurpatoribus, tum de amasiis, denique de ignotis ac peregrinis accipiebatur, postremo, Christiani, more Iudæorum, Deum *Adonaj* appellantium, Deo id attribuerunt. Ævo Medio verbum id, eliso *i*, ut *Domnus*, in titulum formalem abiit, scribebatur autem per abbreviaturam, uti et hodie, Dñus, aut Dñ. aut vero *Dom* et *Don*.

lit, caputque leni nutu proclinavit. Dionysius, partim e subrisu, partim e sonoro murmure singulari, quo verba sua vir senex protulerat, acrem animi aversionem persentiscebat medullá tenus. Tædio rei percitus, et ex imo confusus, advena vix verba ad respondendum reperire poterat.

"Equidem vereor," respondet denique, "ne casus hic dupliciter fortuitus sit. Non enim is ego sum quem tu esse arbitraris. Aliquem tu exspectasse mihi videris; at, quoad me, nihil a mente mea poterat esse magis alienum — nihil voluntati meæ magis adversum — quam ista intrusio."

"Eia mi bone," indulgenter respondet senex, "ecce te hic; et hoc solum refert. Cape sedem, amabo. Esque prorsus bono animo. Negotiola nostra confestim dirimemus."

Dionysius perspexit statum rerum usque esse cum aliquo conceptuum errore confusum, prohinc explicare perrexit.

"Ostium tuum . . ." prosequitur.

"De ostio meo?" excipit ille supercilio cacuminato erecto. "Lusus ingenii merus." Et humeris tantum gestiebat. "Phantasia hospitalitatis! Secundum tua propria verba, tu minime eras cupidus me noscendi. Nos seneciones tale quid haud raro exspectamus; quum vero id ad famam nominis nostri attingendam respicit, conari solemus aliquid ad id superandum

comminisci. Non invitatus quidem advenis, haud tamen ideo minus opportune."

"At, mi vir, pergesne in errore perseverare?" instat Dionysius. "Inter me et te nullus quæstioni esse potest locus. In hac regionis parte peregrinus ego sum. Nomen mihi est Dionysio Domnicello[1] de Beaulieu. Si me domi tuæ vides, id inde fit, quod —"

"Mi amicule," incidit in eius sermonem senex, "indulgebis mihi si in his rebus proprium sequar iudicium. Verosimile est iudicia nostra hoc momento inter se differre," modo inani subiungit, "dies tamen uter nostrum in vera sententia fuerit, ostendet."

Dionysius se cum demente agere credere cœpit. Cum gestu humerorum consedit, reique eventum exspectare statuit; tum silentium instituit, dum interea se discernere putabat quasi pone aulæum, e regione sibi, clam preces recitarentur. Interdum unius tantum vox audiri videbatur, alias binæ, atque vocis, tametsi submissæ, vehementia sive magnam properantiam, sive vero agoniam animi indicare parebat. Tunc sibi in mentem venit aulæum istud ingressum celare sacelli, cuius formam exteriorem foris animadverterat.

1. Etiam titulus formalis iuvenis viri ingenui, loco *Domniculi*, vel *Domnuli*, qui apud Valachos est in usu. Mulieres iuvenes, pari modo, *Domnicellæ* titulum obtinent, qui apud Francos denique in *Demoiselle* detritus viget.

Interim vir senex Dionysium a capite ad calcem oculis scrutabatur censoriis, leniter subridens, ac nonnunquam sonitum haud absimilem aviculæ, aut musculi edens, unde inferri licebat eum contentissimum, spirituque elatum esse. Hic rerum status pedetentim tolerari non posse videri cœpit; quamobrem Dionysius, finem rei facturus, suavi modo memorabat ventum foris iam recessisse.

Vir senex hoc audito impetu submissi risûs captus est tam diuturni ac violenti ut toto vultu rubore perfunderetur. Dionysius extemplo surrexit, pileumque gestiens capiti imposuit.

"Mi Domne," eloquitur hic, "si sanus es, iam plus satis me vilipendisti. Sin autem insanis, licet mihi credere facultates meas intellectûs iucundius impendere posse quam cum demente agere. Mea mens recti est conscia; tu me inde a primo momento lusisti; audire meam excusationem recusasti; et nunc nulla sub Diis potestas me hic ulterius continebit; atque nisi mihi nullus honestior modus viam foras reperiendi detur, ense ostium tuum diffringam."

Domnus de Malétroit dextram levavit, eamque adversum Dionysium, indice, minoribusque digitis pansis, agitavit.

"Nepotule mi dilecte," inquit, "conside."

"Nepotule!" regerit Dionysius, "quin tu ore pleno mentiris; talitrum ipsi minitatus.

"Conside, inquam, nebulo!" clamat denique vir senex, subita asperaque voce, consimili canis latrantis. "Existimasne," tum prosequitur, "quum tendiculas ope ostii commentus eram, me rem ibi terminasse? Si mavis ut manibus pedibusque vinciaris ita ut ossa tibi doleant, tenta modo surgere ac discedere. Sin vero malis hircus manere liber, teque suavem erga virum senem præstare — tum bene, sede ibi ubi es in pace, ac Dii te amabunt."

"Num tu indicare vis me captivum esse?" quærit Dionysius acrius.

"Facta memoro," respondet ille. "Satius duco ut reliqua ipse tibi inferas."

Dionysius itaque iterum consedit. Extrinsecus se satis compositum gerebat, in animo tamen furore æstuabat, subinde vero sollicitudine refrigerabatur. Nec amplius sibi cum demente negotium esse existimavit. At si vir senex mente captus non erat, quid per Deorum fidem sibi exspectandum erat? Quidnam absonum aut tragicum discrimen se supervenit? Quemnam vultum eum oporteat fingere?

Dum hæc taliaque secum meditabatur animo fluctuans, aulæum in sacellum ingressum celans tollitur, procerior sacerdos ornatu suo indutus inde egressus, longoque aspectu Dionysium acriter contuitus, Domno Malétroit aliquid in aures susurravit.

"Estne ipsa animo tranquillior?" quærit hic.

"Mente placidiori modo est, mi Domne," respondet sacerdos.

"Dii eam adiuvent, ipsi non facile satisfit!" ludificatur vir senex. "Propago optimæ spei — haud male natus — et hoc etiam propriæ electionis? Ehem, quid mannus hic amplius sibi vellet?"

"Status hic nulli domnicellæ est quotidianus," refert alter, "ac pro sua verecundia res etiam est nimis aspera."

"Decebat eam hæc priusquam choreas agere ceperat perpendere. Non propriæ electionis meæ id fuisse, Diis notum: quando tamen eam inesse contingit, sic Domna[1] Nostra eam audiuvet, totam hanc rem illa exsequetur ipsa." Tum Dionysium allocutus, "Domnicelle mi de Beaulieu," quærit ab eo, "licebitne ut te nepti meæ sistam? Ipsa te diu præstolabatur haud dubito dicere, etiam quam ego magis impatiens."

Iam Dionysius cum gratia se sorti suæ totum dedidit — nec ulterius quidquam expetivit, nisi ut deterrima fata sua citissime quam fieri posset, cognosceret; surrexit itaque sine mora, nec invitationem recusans, se proclinavit. Domnus de Malétroit, ex-

1. ***Domna Nostra, Donna Nostra, Nostra Domna, Notre Dame, Domna Mea, Mea Donna, Ma Donna, Madonna,*** **sunt Italorum et Francorum formæ detortæ, quibus Beatam Mariam Virginem appellant.**

emplum eius secutus, brachio capellani[1] adiutus, adversum cancelli ostium claudicavit. Sacerdos aulæum revulsit, simulque omnes tres intraverunt. Ædificium ornatu architectonico non immerito superbiebat. E medio arcu lacunaris inter sex robustas columnas lenior fornicatus desursum pendebat paribus ornatissimis. Sanctuarium pone altare in rotunditate desinebat anaglyphis supra modum affluentibus ornata,

1. *Capellanus*, linguá Ecclesiasticá est partim sacerdos, qui *capellam* curat, vel in exercitu servit, partim adiutor est parochi alicuius cœtûs. *Capella* Romanis est *capra* parva; in idiomate tamen Christiano templum privatum, in aulis principum ac procerum, aut quodlibet templum parvum, quod *filiale* vocant. Derivatur autem vocabulum a *cappa*, fortasse in similitudinem nominis litteræ *k* Græcum, sed origo debetur vocabulo *caput*, unde *capedulum*, atque *capitium*, utrumque tegumentum capitis. Posterius corruptum est in *caputium*, et *capucium*, quod Romano sermone vocabatur *cucullus*, estque pars vestimenti, sive *habitûs*, monachorum, quæ retro ex humeris pendet, potestque in caput induci. Capitium est etiam genus pallii, quod Ecclesiastici modo *superpelliceum* vocitant, ita autem appellabant eapropter, quod per caput humeris iniiciebatur. Ista autem *cappa* celebritatem a Sancto Martino ducit, Episcopo Turonum, in Gallia, qui Sabariæ, oppido Pannoniæ, modo pars Hungariæ, intra annos 300-mum, atque 400-imum fertur natus esse. Is in annalibus Ecclesiæ gloriá cluet sanctitatis, et ut reliquiæ eius *cappa*, sive palliolum, in sacello cathedralis conservata esse dicitur. Ab ea veste ipsum sacellum, et inde omnia alia sacella *capellæ*, sacerdos eius *capellanus*, choragus autem, sive director musicæ, a Germanis *Capellmeister* appellatur. Denique *sacellum* Romanis fuit area septa, alicui Deo sacra, cuius ara in medio stare solebat, ut ibi sub dio, sive libero cœlo, ei sacrificaretur; apud Christianos tamen est parvum templum, sive *capella*, ut supra.

eamque complures fenestellæ formas stellarum, trifoliroum aut rotarum referentes collustrabant. Hæ fenestellæ vitris haud satis erant clausæ, ita ut aer nocturnus minime impeditus sacellum perflabat. Cerei quorum haud pauciores quam quinquageni credibile erat ibi arsisse, a vento violentissime agitabantur, unde lumina nunc in coruscam claritatem, nunc autem in umbratilem eclipsin verterentur. Ante aram, in infimo gradu, nympha[1] ornatu resplendens, virgo genibus insistebat. Ut Dionysius animadvertit ornatum eius, contremuit; omni vi conabatur suspitiones, quæ menti suæ subreperant, repellere; id fieri nec debet — nec potest, quod futurum timebat.

"Blanca," fatur Domnus voce sua tibiæ cantui simillima, "puellula mea, amicum tibi adduco sistendum; velis te vertere, manumque ei præbere. Multum iuvat religioni esse deditum, sed, mea neptis, haud minus iuvat esse civilem."

Puella surrexit, seque ad advenas convertit. Motus autem eius talis erat quasi corpus nusquam flecteretur, et in omnibus vegeti ac iuvenili corporis lineamentis indicia verecundiæ torporisque expressa videbantur, stabatque capite declinato, et oculis demissis, dum interim leni gressu propius accedebat.

1. Est virgo nupturiens, desponsata, sponsa quam vir, *paranymphus*, sibi in matrimonium accipit, ambo in ornatu, ante aram et sacerdotem stantes.

Progredienti oculi in pedes Dionysii de Beaulieu incidebant — in pedes, quibus ipse merito superbiebat, liceat hic monere, quos etiam in itinere maximá curá vestiri et indui moris ei erat. Ipsa substitit — exterrita est, acsi cothurni[1] sui flavi indicia essent alicuius rei terribilis — tum, repente, lumina ad vultum levavit cothurnos eos gerentis. Oculi eorum concurrunt; pudicitia horrori ac formidini locum cedit in vultu puellæ; labia expallescunt; acri quiritatu vultum manibus tegit, suique impos in solum sacelli corruit.

"Hic non is est!" clamat puella. "Patrue mi, hic non est is!"

Domnus de Malétroit suaviter mussitabat: "Utique non est," inquit, "tantum et ego exspectavi. Tam infortunate factum, quod nomen illius tibi excidisset."

"Sic prorsus," quiritat puella, "ego profecto hunc ad istud ipsum temporis momentum nunquam vidi — nequaquam, ne oculis quidem hunc unquam contuita

1. Non mera res theatrica, ut ex auctoribus Romanis in scholis inculcatur, sed pars indumenti virilis, pedem tibiasque fere genuum tenus tegens, fitque ex corio, priscis temporibus rubro, flavo, purpureo, aurato, aut quolibet alio colore, et si eques gesserit, etiam calcaribus instructa. Nostris temporibus tantum ornamenti causa geruntur *cothurni*, a nobilibus, in Europa Mediana, sive Centrali, sed ex corio nigro ex plebe etiam plurimi, atque equitatus.

sum — nunquam amplius eum conspicere volo. Mi Domne," ait ad Dionysium conversa, "si vir es, verba mea confirmabis. Unquamnę te vidi — unquamne tu me vidisti — ante hanc horam maledictam?"

"Ut pro me solo loquar, nunquam ita fortunatus fui," respondit iuvenis, "nunc mihi primum contigit, mi Domne, ut tuæ formosæ neptis in conspectum venirem."

Vir senex humeris gestiebat.

"Hoc audire multum aggravor," inquit ille. "Attamen initium facere nunquam sero est. Et ipse haud multo plus notitiæ uxoris meæ bonæ memoriæ habebam quam eam duxissem; unde clarum fit," subiunxit mimice gestiens, "posse fieri ut connubia eiusmodi extemporanea, habitu diuturniori in optimam concordiam evadant. Quandoquidem et paranymphus hac in re habiturus est quod dicat, duarum horarum spatium illi concedam ad reparandum tempus amissum, antequam ad ritum procedamus." Quibus dictis ad ianuam versus processit, sacerdote comitante.

Puella sine mora in pedibus constitit. "At, mi Patrue, tu certe non serio hæc dicis," interpellat illa. "Deos testes appello, malle memet propria manu confodere, quam ut invito huic iuveni obtrudar. Cor rebellat. Dii vetant idgenus connubium; tu autem canos tuos dehonestas. O, mi Patrue, miseresce mei. Nulla in terrarum orbe est mulier, quæ non mortem,

quam tale connubium potiorem habeat. Fierine potest," subdit titubans, "fierine potest ut tu fidem mihi neges, atque ulterius quoque credas hunc" — digitis Dionysium cum flagranti ira et contemptu indicans — "ut tu usque putes *hunc* eum fuisse?"

"Ingenue fateor," refert vir senex in limine subsistens, "me ita credere. Verum, sine ut tibi, mea Blanca de Malétroit, semel omnino explicem, quid hac de re censeam. Quum tu tecum statuisti nostram prosapiam nomenque, quod bello ac pace plus quam sexagenos annos cum honore gesseram, dehonestare, non modo ius tuum in meam sententiam inquirendi pessumdedisti, verum etiam vultum meum contuendi. Si pater tuus tunc in vivis fuisset, te conspuisset, et ex domo exesse iussisset. Ipse manibus fuit ferreis. Grates Diis tuis habueris, mea Domnicella, quod tantum cum manibus byssinis tibi agendum est. Muneri meo duxi te, citissime quam poteram, locare. Ex mera bona voluntate tuum tentavi proprium reperire procum. Et confido me successisse. Verum, per omnes Deos et cœlicolas, Blanca de Malétroit, si id mihi minus contigit, ne vel hilum quidem curo. Prohinc, sine ut te moneam, ut iuveni amico tuo civilem te præstiteris; etenim sic me Dii ament, procus tuus proximus minus tibi ad gustum futurus est."

His dictis, capellano comitante, egressus est; aulæum autem pone iuvenes demissum est.

Puella flagrantibus oculis se ad Dionysium vertit.

"Ecquid hæc omnia sibi volunt?" quærit ipsa nervose.

"Dii ipsi norunt," mœste refert Dionysius. "Captivus sum in ista domo, quæ cerritorum plena esse paret. Plus scio nihil; nec quidquam intelligo."

"Quí autem, rogo, huc intravisti?" percontatur ipsa.

Rem brevissime quam poterat narravit. "Cæterum," subiunxit, "fortasse exemplum meum secutura ænigmatibus his tu respondebis, dicesque quid Diis propitiis, exspectandum, et quis exitus eorum futurus sit."

Paulisper ipsa silens stabat, licebatque iuveni videre quemadmodum ipsa tremeret, oculique absque lacrymis lustro febrili micarent. Tum ipsa utraque manu frontem premebat.

"Eheu, quam mihi caput dolet!" fatur cum lassitudine — "ut de corde laborante sileam! At tu iure postulabis meam partem eventuum scire, tametsi ea narrare muliere indignum videri debeat. Nomen mihi est Blancæ de Malétroit; patre matreque orba eram ex — o! ex quo memini, fuique omni mea vita infelicissima. Ternis ab hinc mensibus iuvenis quidam centurio in templo quotidie iuxta me stare cœpit. Satis perspexi me ei placuisse; meá profecto culpá factum, sed me ab aliquo amari perquam iucun-

dum existimavi; atque quum epistolium mihi porrexisset, id mecum domum tuli, magnaque cum voluptate legi. Exinde complura mihi scripsit. Misellus ille me convenire perquam cupivit, meque continuo rogitavit, ut ostium quadam vespera apertum relinquerem, ut ad gradus vel pauca verba nobis colloqui liceret. Cognitum enim habebat, quantopere patruus meus mihi confideret." Hic aliquot singultus edidit, ac pauca solum post momenta prosequi valuit. "Patruus meus durus est homo, sed admodum astutus," tandem perrexit ipsa. "Multa ille præclara in bello edidit facinora, non exiguo in aula loco habebatur, atque olim magna apud reginam Isabeau gratiá cluebat. Quo autem tandem modo suspitio illi de me in animum irrepserit, haud equidem scio; sed vix quidquam ab eius notitia arceri potest; atque hoc mane quum a missa domum veniebamus, ipse manum meam cepit, eam vi aperuit, meumque epistolium legit, dum a latere mecum itabat. Postquam id legerat, omni civilitate id mihi reddidit. In eo iterum rogabar ut ostium apertum linquerem; et hoc cunctos nos labefactavit. Patruus etenim me per totum diem ad vesperam usque in cubiculo continuit, ac tum, ut modo vides — me vestiri et ornari iussit, en insignem, nonne putas? in quamlibet puellam, contumeliam. Quandoquidem, ut puto, nomen iuvenis centurionis ex me extorquere non valeret, insidias illi tetendit, in quas,

per Deorum vindictam, pro! tu incidisti. Confusionem utique acerbam exspectabam; quínam enim præscire poteram utrum ipse legibus tam duris me in uxorem accipere paratus esset? Fieri etiam poterat eum inde ab initio nunquam serio fuisse animo; aut etiam ego me nimis vili æstimare poteram quam ut illi placerem. Revera tamen pœnam tam insolentem mihi inflictum iri nunquam exspectavi! Fingere nequibam fieri posse ut Dii puellam, in conspectu cuiuspiam iuvenis viri sic dehonestari sinerent. His itaque cuncta tibi edisserui; ac vix sperare audeo fore ut me non despectui habeas."

Dionysius honorem ei tribuit proclinando.

"Domnicella mea," respondit hic, "fiduciá tuá insignem honorem mihi præstitisti. Superest ut ipse ostendam me eo honore indignum non fuisse. Estne Domnus Malétroit ad manum?"

"Eum in contigua aula scribendo occupatum esse existimo," ait ea.

"Indulgesne, mea Domnicella, ut eo te ducam?" quærit Dionysius, manum ei urbanissimo modo præbens.

Accepit ipsa; quo facto, iuvenes e sacello excesserunt, Blanca admodum deiecta et pudibunda, sed Dionysius, conscius quodammodo functionis officiosæ, iuvenilique confidentiá fultus se id et effectui dare posse, pavonis instar itabat.

Domnus de Malétroit, ironicá quadam obsequentiá ei obviam venit.

"Mi Domne," fatur Dionysius insigni grandiloquentiá, "et ego mihi hoc in connubio interloquendi ius sane vindico; prohinc, iam in antecessum monitum te esse volo me nullo pacto adstipulaturum ut virgo hæc invita ad id adigatur. Si manus sua libere mihi oblata fuisset, ex corde accepissem, perspectum enim habeo eam tam probam quam venustam esse; verum, ut res sunt, officio meo esse duco, mi Domne, cum omni humanitate recusare."

Blanca eum oculis ex grato animo fulgentibus contuita est; at vir senex arridebat tantum, sed ita ut arrisio eius Dionysio prorsus stomachum verteret.

"Tu quidem, Domnicelle de Beaulieu," respondit ille, "vereor admodum, electionem quam tibi obtularam, ne perperam intellexeris. Velis modo me ad istam fenestram comitari." Quibus dictis adversus unam magnarum fenestrarum, quæ nocte hac patebat, processit. "Nota, velim," prosequitur ipse, "ferreum annulum in superiori muro, item ei insertum satis robustum funem. Nunc animadverte, sis, verba mea: si quo casu aversio tua erga personam meæ neptis tibi insuperabilis videretur, ante solis ortum te illic ex hac fenestra suspendi curabo. Mihi crede, ad hoc extremum cum maximo dolore descendam. Nam ego nequaquam tuæ mortis sum cupidus, sed ut neptis

mea in vita stabiliatur. Si tamen te contumacem præstiteris, necesse erit ut ad id deveniatur. Tua familia, Domnicelle de Beaulieu, clarissima suo modo est; tamen, etiamsi originem tuam a Charulo Magno ducas, manum virginis ex prosapia Malétroit impunis non recusaveris — ne tum quidem si tam esset communis quam via quælibet Parisiaca — imo ne tum quidem si adeo esset turpis quam caput draconeum imbricis meæ supra ostium meum. Hac in re nec ratio meæ neptis, nec tui, nec sensus meus privatus me impellunt. Honos meæ domús erat violatus; te reum esse arbitror, aut secreti duntaxat nunc iam es conscius, nec proinde tibi mirari licebit, si abs te postulo ut maculam eluas. Sin hoc feceris, sanguis tuus super caput tuum proprium erit! Nullius compensationis loco habebo si videro decoras reliquias tuas sub fenestra mea flabris agitatas calces collidere, sed, ut vulgo dicitur, media panis pasta, quam nulla, præstat; atque si malum direptæ honestatis sanare nequeo, saltem gliscens probrum sistam."

Silentium intercessit.

"Quantum scio," fatur denique Dionysius, "viris ingenuis alia quoque via cognita est idgenus querimonias dirimendi. Tu nimirum ensem geris, cuius, ut fando audivi, quondam eximium usum feceras."

Domnus Malétroit ad hæc signum dedit capellano, qui lentis gressibus aulam perambulavit, atque

aulæum tertii ostii revulsit. Intra momentum idem iterum demisit; tempus tamen Dionysio suppeterat ad ambitum opacum, armatorum plenum animadvertendum.

"Quum ætate paullo minor eram, mi Domnicelle de Beaulieu, hunc honorem tibi libenter tribuissem," respondit Domnus Alain; "at nunc iam nimis sum senex. Nervi senectutis sunt mercenarii. Uti igitur iis, quas habeo, viribus cogor. Hæc est durissima omnium rerum, quas senectute adacti nos deglutire cogimur; aliquá tamen patientá etiam hoc in consuetudinem abit. Tu atque Domnicella videmini duas horas, quæ tibi ex vita supersunt, malle in hac aula explere; et quoniam nullo modo mihi in animo est electioni tuæ officere, eam omnino vobis concedam ex intima cordis voluptate. Nihil properandum!" subiunxit sublata manu, quum videret faciem Dionysii de Beaulieu in sinistrum obtutum mutari. "Si tibi animus rebellat quominus suspendaris, ad te ex fenestra præcipitandum, aut in lanceas mercenariorum meorum te proiicere post duas horas satis temporis tibi suppetet. Duæ horæ ex vita usque duæ sunt horæ. Etiam tam exiguo temporis spatio quam sunt duæ horæ plurima evenire queunt. Ac, præterea, si aspectus meæ neptis non me fallit, ipsa quoque habere videtur quod tibi dicat. Ultimas vitæ tuæ horas certe non deturpabis te erga virginem incivilem præstando?"

Dionysius oculos in Blancam convertit, quæ eum gestu implorare parebat.

Verosimile erat hunc mutuum consensum viro seni perquam gratum fuisse; namque in utrumque renidens, suaviter monebat: "Si mihi fidem præstiteris, Domnicelle de Beaulieu, antequam ego revertar post duas horas te nihil temerarii tentaturum, abducam meos mercenarios, faciamque, ut cum Domnicella tanto confidentius, testibus remotis, colloqui possis."

Dionysius iterum puellam contuitus est, quæ eum ad assentiendum implorare videbatur.

"Fidem tibi spondeo," respondit Dionysius.

Domnus de Malétroit se proclinavit, ac trans aulam claudicando itare cœpit, interea faucem screando purgitans eo musico pipitu singulari, qui auribus Dionysii de Beaulieu iam pridem irritamento fuit. Primum aliquot philyras chartæ in mensula iacentes sustulit; dein ad ingressum ambitûs accessit ubi armati erant conglobati pone aulæum, mandataque eis impertivit; ac, denique per ostium, per quod Dionysius ingressus erat, foras claudicavit, in limine conversus ut in par iuvenum ultimum renideret, ac postremo, a capellano, lanternam manu gerente comitatus, discessit.

Vix erant soli relicti, Blanca manibus pansis ad Dionysium accessit. Vultus eius rubore erat suffu-

sus atque concitatus, in oculis autem lacrymæ micabant.

"Tu vero non morieris!" clamabat ipsa, "quin postremo tamen me duces."

"Domnicella," refert Dionysius, "tu mihi mortem me nimium perhorescere putare videris."

"Minime vero," ait ipsa, "fucum ignavum te non esse, palam mihi est. Mei ipsius gratia id dico — ut talis scrupuli causa moriaris, ferendum non esse puto."

"At ego vereor, mea Domnicella," respondit Dionysius, "ne tu quam ardua isthæc res sit, minus perspicias. Quod enim tu quominus recuses nimis es generosa, id ego quominus accipiam, nimis esse possum superbus. Vicissim tu, quodam momento liberalitatis erga me, fortasse immemor es quid aliis debeas."

Dum hæc dicebat, et etiam postea quam dixerat, debiti decoris conscius, vultum in solo defixum tenebat, ne confusionis puellæ testis esset. Ipsa paulisper silens stabat, tum subito abscessit, seque in sella patrui demissa, in singultus amaros erupit. Nunc Dionysius ipse in acerbissimam confusionem incidit. Interim circumspexit, velut qui omnino inops est consilii, et ubi sellam repererat vacuam, toto pondere eo consedit, ut aliquid agere videretur. Illic sedens cum capulo sui ensis lusitabat, vel millies se mortuum satius existimans atque sub tæterrimo sordium culinari-

arum totius Franciæ cumulo sepultum. Oculi eius in aula circumvagabantur locum quærentes ubi conquiescere possent, repererunt tamen nullum. Tanta enim spatia inter partes supellectilis intercedebant, lumen illis tam languide ac mœste incidebant, aura denique nocturna caliginosa tam frigida per fenestram penetrabat, ut se nec unquam templum tantæ vastitatis, nec sepulcrum tam luctuosum vidisse arbitraretur. Singultus Blancæ lapsum temporis tamquam horologium indicare videbantur. Epigramma clypei iterum iterumque perlegit donec rei se tæderet, oculique caligarent; angulos tenebricosos intuebatur donec visiones sibi oborirentur ferarum illic scatentium horridarum; passim etiam horrescens ad se redibat, memor duarum horarum, quæ vitam terminaturæ erant, præterlabentium, mortisque adventatis.

Tempore interim labente, Dionysius aspectus furtivos sæpius in puellam ipsam coniiciebat. Vultus eius prorsum erat flexus manibusque opertus, atque figura eius crebris singultibus agitari et convelli videbatur. Etiam sic ipsa minime erat indigna cui aspectus inhæresceret, habitu enim corporis pleno et tamen haud ingracili, cuti fusciore et calente, comaque tantæ pulchritudinis, ut, ex opinione Dionysii, plane nulla alia in universo mulierum mundo. Manus eius similes erant manibus patrui, brachia tamen aptius finire videbantur iuvenilia, atque infinitæ teneritudi-

nis, mulcendoque aptissimæ esse parebant. Meminit etiam quemadmodum oculi eius cæsii, tum pleni iræ, misericordiæ innocentiæque se appellarent. Atque quo plus perfectiones eius contemplabatur, eo sibi mors immanior videri cœpit, eoque magis eius lacrymæ se afflixerunt et in pœnitentiam compulerunt. Iam et sensus conscientiæ in animo suo cooriri cœpit, neminem hunc mundum linquere audere posse, dum in eo tanta muliebris pulchritudo floreret; ac nunc iam quadragena minuta ultima horæ vitæ suæ libenter donaturus esset, si sua crudeliter dicta indicta reddere posset.

Subito e profunda caliginosaque valle procul sub fenestris raucus ac lacer galli cantus aures iuvenum perstrinxit. At hic altum noctis silentium perfringens ac perstrepens sonitus erat lucis instar in tenebris, qui eos e suis meditationibus suscitavit.

"Euge," fatur ipsa suspiciens, "quidquamne tui gratia præstare possum?"

"Mea Domnicella," respondit Dionysius omnino præter rem," siquid dixerim quo animum tuum offendissem, crede mihi, tua id causa, non mea factum."

Ipsa oculis lacrymantibus gratias ei egit.

"Status tuus," prosequitur ipse, "mihi dolenter clare constat. Mundus se erga te durum et atrocem præbuit. Patruus tuus dedecus generis humani est. Crede mihi, Domnicella mea, nullum iuvenem inge-

nuum in omni Francia dari, quin meo loco paratus sit in servitio vel brevissimo tibi præstando mori."

"Fortem te atque generosum esse mihi iam bene notum," respondit illa. Unum tantum est quod me *doceri* cupio, utrum ego tibi prodesse possim — nunc, aut postea," subiunxit illa tremula.

"Ut quum maxime," respondit ipse in eam renidens. "Sine, quæso, ut iuxta te considam, acsi essem amicus, loco stulti advenæ inviti; tenta sis oblivisci qui sit noster status ad invicem; fac ut extrema vitæ meæ momenta placide defluant; hunc in modum maxime iucunda mihi servitia præstiteris."

"Virum te probas perquam fortem," subiunxit illa etiam profundiori mœstitiá... "perquam fortem... et hoc me non parum affligit. Sed accede sis propius, si ita videtur; atque siquid habeas quod mihi dicendum putes, reperies duntaxat gratissimas aures. A, Domnicelle de Beaulieu," in hæc verba erupit — a, Domnicelle de Beaulieu, quínam vultum tuum digna intuear?" His verbis iterum lacrymæ ei obortæ sunt, acerbissimeque flere cœpit.

"Domnicella mea," refert Dionysius, manu eius suá utraque apprehensá, "perpende modo exiguum quod mihi superest tempus, summamque amaritudinem in quam contemplatio tui infortunii me præcipitavit. Arce a me supremis his vitæ meæ momentis

conspectum eius, quod ne pretio vitæ meæ quidem sanare par sim."

"Atqui ego mei studiosissima sum," respondet Blanca. "Fortior ero, mi Domnicelle de Beaulieu, tui gratia. Sed recole modo tecum utrum non imposterum quid grati tibi facere queam — utrum amicos non habeas, ad quos tuum ultimum vale perferre queam. Grava me quantum possis; quodque onus vel tantillum levabit sensum grati animi quo me tibi obstrictam sentio. Fac ut possim aliquid plus tibi prodesse quam te deflendo.

"Mater mea iterum nupsit, habetque proles minores quarum curam gerat. Mea prædia fiduciaria frater meus Gichardus hæreditate accipiet; atque, ni fallar, ob meam mortem id eum satis compensabit. Vita vapor est tenuissimus, qui cito evanescit, ut ii nos docent qui sacris ordinibus initiati sunt. Rebus secundis, quum quis omnes vitæ semitas coram se patere videt, se in aliquo numero in orbe terrarum esse facile sibi persuadebit. Equus suus hinnitu eum excipit; quum copiarum suarum dux clangore tubarum oppidum intrat, cunctæ puellæ e fenestris prospectant; multa illi offeruntur honoris atque fiduciæ testimonia — alias litteris per veredarium — alias coram, optimatibus eum amplexantibus. Nihil mirum siquando, pro tempore, caput eius vertatur. Primum tamen ac moritur, fuerit licet fortis atque Hercules,

sapiens atque Salomon, memoriá protinus excidit. Ne decem quidem anni sunt ex quo pater meus cum equitibus compluribus circa eum in pugna ferocissima cecidit, et tamen ego minime puto non modo nomina eorum, verum ne certamen quidem ipsum quemquam amplius meminisse. Ita vero, mea Domnicella, quo propius ad mortem accesseris, eo clarius intelligis angulum caliginosum ac pulverulentum eam esse, ubi quis sepulcrum suum intrat, quo facto, ianua pone eum usque ad extremum diem Iudicii obseratur. Paucis ego glorior modo amicis, mortuus habebo nullos."

"A, mi Domnicelle de Beaulieu!" interpellat ipsa, "Blancæ de Malétroit tu oblivisceris."

"Tu profecto, mea Domnicella, suavi es animo, prohinc vel exiguum servitium pluris quam valeat facis."

"Non de eo agitur," respondet ipsa. "Haud recte de me existimas, si me re mea tantum teneri putes. Sic dico, quoniam te omnium, quos me convenisse contigit, nobillissimum censeo; quod animum in te agnosco, qui vel humillimum quemquam ex plebe in clarissimum huius regni evexisset."

"Et tamen hic, in muscipula,[1] moriar — haud

1. *Muscipula* est apparatus ad *mures capiendos;* tendicula, pedica, insidiæ, musculi autem non loquuntur, sed *mintriunt.*

maiori tumultu, quam meo proprio mintritu," refert ille.

Umbra doloris vultum puellæ obsedebat, ac paulisper conticuit. Mox tamen lux oculos eius illustrare videbatur, ac subridens iterum fari cœpit.

"Ferre non possum ut propugnator meus se parvi faciat. Quisquis vitam suam pro altero tradit, ei in Paradiso omnes præcones angelique Domini Dei obviam eunt. At tu nulla huiusmodi re teneris. Nam . . . obsecro, venustamne me existimas?" quærit ipsa cum rubore.

"Ita, profecto, existimo, mea Domnicella," ait ipse.

"Id me valde delectat," ex corde respondit. "Existimasne multos in Francia esse, quibus venustæ puellæ sese in connubium obtulerint — et hoc propriis labiis — quæque ab iis propalam tulerint repulsam?[1] Non ignoro vos viros idgenus triumphum fere despecturos; at mihi crede, nos mulieres longe accuratius intelligimus, quid in amore pretio æstimandum sit. Nihil est quod quemquam in sua ipsius opinione in altius fastigium evehat æstimationis; nos vero mulieres nihil pluris faceremus."

"Revera tu humanissima es," ait ille; "facere

1. *Repulsam ferre*, est repudiari, reiici, non accipi in uxorem, vel maritum.

tamen non poteris ut obliviscar mihi oblationem ex misericordia, non ex amore factam esse."

"Id plane non constat," fatur ipsa luminibus demissis. "Ausculta modo, Domnicelle de Beaulieu, dum finiam. Quanto despectui me habere te necesse sit, haud ignoro; ius tuum non in dubium voco; creatura nimis misella ego sum quominus locum vel unius cogitationum tuarum usurpem, quamvis, pro dolor, causa mei iam hoc mane moriendum tibi sit. Verumtamen, quum te rogavi ut me in uxorem duceres, id ideo feci, quia te veneratione atque admiratione prosequebar, amavique te ex omni corde meo inde ab eo temporis momento, quo me adversum patruum meum propugnabas. Si tute tunc vidisses, quam nobilem te exhibebas, misererereris mei potius quam me aspernareris. Nunc vero," pergebat ipsa dum manu eum refrænabat, "quamquam omnem seposui verecundiam, tamque clare tibi locuta sum, ne te fefelleris, nam quid de me sentias, est iam mihi plane notum. Ex nobili prosapia quum sim, mihi crede, ad assensum mihi præbendum importunis verbis te nunquam fatigarem. Namque et mihi est quo meo modo superbiam: iuroque tibi coram Beata Virgine, Matre Dei, si nunc, postquam mihi fidem dedisti, me falleres, tam parum tibi nubere vellem, quam agasoni[1] patrui mei."

1. *Agáso*, est adiutor aurigæ, stabularius, equíso.

Dionysius paullo amarius subridebat.

"Ieiunus amor ille est, quem vel modica superbia refellit."

Ipsa nihil respondit, licet quod cogitaret et ipsa habuerit.

"Veni modo ad fenestram," fatur ille cum suspirio. "En auroram."

Ac, revera, aurora iam dilucescere cœperat. Cœli convexum iam lumine diei complebatur, clarum, absque colore; infra autem vallis subalbido lumine reverberato profluebat. Aliquot vellera vaporum profusa fluitabant circa sylvarum latera, secundumque fluminis decursum. Aspectus regionis silentii altitudinem miro effectu referebat, quod prorsus nihil rumpebat, donec galli ex suis latibulis iam iterum canere inciperent. Idem fortasse ipse nebulo, qui vel dimidia hora ante tam tætro cantu silentia ruperat, nunc iam læta acclamatione appropinquantem diem salutabat. Leniora interim flabra percurrebant arborum comas infra, sub fenestris. Tamen e diluculo in oriente lux diei pedetentim evolvebatur, quæ sensim gliscere, et fulgidior fieri cœpit, coruscum illum atque candentem globum, solem orientem mox paritura.

Dionysius hæc omnia non sine tremore intuebatur. Puellæ manum in suam sumpsit, eamque vix conscius tenebat.

"Anne dies iam ortus est?" quærebat ipsa; tum

vix sibi consistenter: "nox tam fuit diuturna! Eheu, quid nuntiabimus patruo meo reversuro?" quæsivit.

"Quidquid tibi, videtur," respondet Dionysius, digitis puellæ arctius pressis.

Ipsa silebat.

"Blanca," fatur denique ipse celeri, incerto verborum impetu, "iam vidisti utrum mortem reformidem. Perinde necesse est constare tibi, me eodem æquo animo paratum esse ex hac fenestra in inane infra præcipitem dare, quam vel digito te invita te contrectare. Attamen, si mihi cupis vel maxime, noli sinere ut vitam ex errore amittam; nam te plus quam universum mundum amo; atque, tametsi gratia tui libenter mortem oppetam, nihilo secius omnibus Paradisi voluptatibus me frui existimarem, si mihi pervivere, cæteramque vitam meam in tuo servitio exigere daretur."

Uti fari desiit, campanula in penetralibus insonuit; tum strepitus armaturæ in ambitu indicabat mercenarios in sua loca munerum revertisse, atque duas horas iam ad finem vergere.

"Posteane omnia quæ audivisti?" susurrabat ipsa, labiis oculisque pansis in Dionysium proclinata.

"Audivi vero nihil," ipse respondit.

Nomen centurionis fuit Florimundus de Champdivers," ipsa in aures eius susurrabat.

"Non audivi," ille refert, molle ac tenerum corpus eius amplexatus, osculisque eam obruens.

A tergo sonorus pipitus exaudiebatur, insecuto leni risu, ac dein vox Domni de Malétroit novo suo nepoti sospes ac faustum mane precabatur.

F I N I S.

SVPPETIARIVM MERGVLARVM

SUPPETIARIUM[1] MERGULARUM

SPISSIORES nebulas, quam eo mane ad Pulvinos[2] Grandes sum expertus, vidi nunquam. Hæ lenunculum[3] circumcluserunt usque eo dum omnem meam conscientiam, me partem huius mundi esse deleverunt, feceruntque ut me solam micam extorrem huius canæ universitatis fluctuum ac vaporum esse sentirem. Hattie Rebecca non procul

1. Quandoquidem novellula hæc in rebus versatur non modo modernis, verum prorsus hodiernis, ego autem quum puritatis dictionis Romanæ cultor atque vindex sim, mihi nec ad vocabula peregrina licet, aut lubet recidere, iisque orationem Latinam contaminare; et vagas circumlocutiones abhorreo, nihil supererat nisi ut terminis technicis modernis, qui quum utique pæne omnino e thesaurario Latino-Græco inepte derivati sint, aliis, ex iisdem fontibus, ad normam dictionis Romanæ probe formatis, plena fronte occurrerem. Sunto itaque:

Suppetiarium, -ii, e nomine substantivo *suppetiæ, -arum,* omnibus noto formatum, quo locum indico, ubi suppetiæ ad bellum navale necessariæ, ad usum copiarum nauticarum asserventur. Moderni idgenus locum *basin,* ipsa natura vocabuli repugnante, vocitant.

Mergula-, æ, a verbo *mergo, -ere, si-, -sum,* ex quo se-

aberat. Illa lenunculos prima luce dimisit, ipsa tamen in propinquo iacens mansit, ut signum tubæ, si res postularet, a quocunque nostrum excipere posset; at vero, semel ab eius latere digressus, nebulisque haustus, mihi quidem in chao solus esse parebam, quæ quidem vera est conditio quoad magnam vitæ partem his in Grandibus Pulvinis. Si piscium copia detur, tu autem occupatus sis, solitudo nulla est; verum si pisces escam vitent, tu autem otieris, solitudo ingenti onere te opprimit. Quum talia me superveniunt otia, auscultare soleo — ita auscultare, acsi de vita mea ageretur. Etenim hi Pulvini Grandes commeatuum commercii orbis frequentissimorum unus est. Londi-

quentia nomina substantiva derivantur: *mergus, -i*, homo, qui se ad perficiendos labores in fundo aquarum *mergit*, qui alioquin proprio vocabulo *urinator* audit; tum etiam avis aquatica, alio nomine larus, diversa a fúlica; dein, *mergæ, -arum*, est furca; *merges, -itis*, f., manipulus frumenti cum stramine colligatus, quod ei *mergas* immergimus; denique est *mergulus, -i*, ellychnium candelæ, aut lucernæ, quod in sebo, vel oleo mersum ardet. Huius fœminino utor ad significandas nauculas, quæ ad arbitrium in aquis mergi, et inde *e*mergi possunt. Moderni idgenus naucu lam *sub-marinam* vocitant, quæ quidem vix vel *subaquanea* vocari possit, quandoquidem nunquam est *sub* mari, ibi enim nihil præter fundum est, atque plus *in*, et *in superficie* aquæ est quam secus.

2. *Pulvinus, -i*, præter sensum ordinarium et consuetum et in lingua nautica adhibetur ad significandos magnos cumulos et strues sabulonum, et glareæ, quos mare prope ad littora converrit, perinde ac nebulas atque nubes eodem modo coactas, et littora obruentes, uti in regionibus Newfoundland.

num Parisiique ex una parte iter trium dierum absunt. Neo Eborácum atque Bostonium iter trium dierum in adversam partem, magnæ autem vaporariæ, quæ merces totius orbis vectant, has nebulas, locaque piscatoria, tractuum expeditorum instar percurrunt. Nemo nostrum est, qui vel per aliquod tempus piscationem hic exercuerit, quin hæc spectra viderit meteorum ingentium, e nebulis emergentium, iterumque evanescentium — et id totum intra minutum, quæque nihil post se relinquunt nisi validum turgorem, paucis minutis residentem, atque habitum auscultandi, ad finem vitæ usque perdurantem.

Hoc mane nebula præter morem erat densa. Pisces satis abundanter obversabantur, tamen ego auscultabam. Primo mane me clangorem dissiti machinamenti marini audisse existimabam, sed erravi, quandoquidem sonitus subito cessavit, machinamenta autem marina in Pulvinis cessare non solent. Notio tamen ista semel suscitata, non me deserebat, et mox post alios sonitus percipere cœpi. Quandoque sonum putabam me audisse aquarum crepidini illidentium, alias, denique, voces percepi — passim tantum incidentes, dissitas, non agnoscibiles — tamen voces, probeque notum indicium morbi Pulvinorum, — auscultationis.

Circa horam undecimam dies paulatim clarescere cœpit. Visus iam ultra lenunculum penetrabat, ita-

que aciem in superficie aquæ ulterius intendens, non multum ultra retia quæ curabam, lagena fluitans mihi sub oculos cecidit. Nauculam eá impuli, lagenam ex aqua sustuli, et in ea schédulam in hunc tenorem inscriptam reperi:

In Germanica incursoria,[4] Albi.

In Pulvinis sumus. Si notula hæc in manus classis piscatoriæ inciderit, magistratus confestim edocebitis. Albis uno fumario est instructa, quod nunc nigro est pictum. Ipsa duos fert malos, quisque cum antennis ante et post, cum cánaba[5] stegaria parva, nec prora nec puppi aquæ impendenti, et octo tormentis est instructa.

Fert autem Albis prope ducentos captivos, de navibus ab Albi mersis coactos. Notula hæc scripta est a Magistro Alixis Mac, Glascoviensi, Haliface Liverpool tendentis, hesterno mane depressæ. Navim hanc ex aliqua re laborare arbitror, videturque mihi Albim penuria lithanthracum[6] detineri. Machinamenta ex summo mane

3. Parvus lembus, scapha piscatoria.

4. E verbo *incurso*, in fines vicinæ gentis animo hostili sæpe incurro, quo sensu auctores Romani verbum adhibent. Ex hoc nomen adiectivum finxi *incursorius, -a, -um,* ad significandas naves, quæ in oris maritimis hostium idem faciunt. *Albis* est nomen fluminis in Germania, vulgo *Elbe*.

5. *Cánaba, æ,* est domuncula, casula. *Stegarium,* quod est in stega, vel constrato, navis.

hodierno stant, quum duo nautæ dromone[7] minori in terram dimissi sunt.

Alexander Carey.

Me solum esse iam non amplius sensi. Primum id solum cogitabam, quí magistratus edoceam, tum; postquam rerum statum pensaveram, mirari cœpi quid nuntium meum valeret. Quo die notula edita esset, non constabat, nec ego de incursoria Albi unquam audivi. Alix Mac mihi notissima erat — vetus velifera trium malorum, per multos annos vectoria mercium Provintiarum Maritimarum, quæ, nisi propter exigentias belli, iam pridem inter obsoletas relegari potuisset. Mea ignoratio Albis, utique, parum referebat, quandoquidem nos portum iam dudum reliquimus, et inter navigandum nova nobis parcissime ad notitiam pervenerunt. Cæterum lagena poterat a vectore aliquo faceto de stega protelariæ[8] cuiusdam

6. *Lithanthrax, -cis, m.*, lapis ardens, id quod loco lignorum in fornacibus ad calefaciendum urimus.

7. Quibus potissimum nominibus, Romanis usitatis, varia genera nostrarum navium appellem, vix revera refert, quando quidem Græco-Romana nomina æque parum definiunt speciem et naturam navium eius ætatis, quam nostra huius ætatis. Utor itaque terminis, qui mihi maxime verosimiles esse parent. Hæc fere erant nomina frequentissima: *triremis, longa, oneraria, tabellaria, speculatoria, corbita, lembus, linter, scapha, actuaria, barca, celox, pristix, phaselus, dromo.* Postremo horum designo nauculam levem et velocem, quæ vi agitur partim vaporaria, partim autem, et fere plerumque, naphtha, aut oleaceo in machi-

fluctibus committi, cuius conceptus iocandi e studio constabat alios in errorem inducendi. Quin etiam, si notula genuina ac vera esset, poterat iam nullius esse pretii, quum sciri, quam diu in aquis iactata esset, plane non posset — et tum, ut ibi sedebam speculabundus, nebula paullo iterum plus rarescebat, licebatque mihi, obscure dumtaxat, in medio cœcæ caliginis speciem cernere vaporariæ cum prærupta prora atque puppi, canábula in stega, uno fumario, binis malis, antennis ante et post. Figuras sive in stega, sive in catasta,[9] nullius hominis dignoscere ullo pacto poteram, licet rite intellexerim acerrimas excubias non deesse, atque ubi ego videre possem, me quoque vicissim videri. Quapropter post primum intuitum me ab ea navi averti, totumque animum in retia mea

nula combusto. Quoniam tamen Græcis *drómos* cursum significat, hoc nomen ob celeritatem suasam, potius habendum putavi, et etiam moderno nomini præstare, quod a *lancea*, nimis longe, petitur.

8. *Protelaria*, scilicet, navis; quo verbo significare volo naves grandes, quæ statis temporibus, una post alteram, oneratæ mercibus, atque magno vectorum numero, tamquam fluitantia palatia, inter statos portus, maxima celeritate commeant. Imago sumpta a *protelo* (*-um*, *-i*), quod tractum significat boum, singillatim, unius post alterum iugatorum, ad prorsum vectanda onera, a verbo *protelo*, *-are*, *-vi*, *-tum*, proprie "prorsum veho," dein etiam "differo," vel "procrastino," a verbo Græco *téle*, longe, procul. Moderni has naves vocabulo etiam longius petito, nempe a *lino*, ac denique a *linea* vocitant.

defixi, et hoc lente, data opera, ac prorsus sine omni superfluo gestu. Dum hoc agebam, nebulæ me iterum circumcluserunt, iterumque mersus vaporibus eram — at non iam solus. Ante dimidiam horam in vasta illa nebula ita eram ab omni societate humana segregatus, ut quasi nullum nexum cum cætero mundo habere, nec partem in eo ullam efficere me mihi viderer, nunc vero, subito, et absque omni præmonitione, partem honoris in hac mundi tragœdia mihi delatam sensi. Res quidem parebat acsi gentes terrarum, quæ me ne exsistere quidem scivissent, modo suspenso spiritu, quid statuturus essem, exspectarent — acsi Historia ipsa meum auctoramentum litteris mandasset: Scitote me speciali fiducia in hoc iuvene posita, illi vitas fortunasque multorum concredidisse.

Iam erat meridies quum ad Hattie Rebeccam perveni. Tres iam lenunculi eo prosperá captura reverterunt, duo usque desiderabantur. Quinque nautæ in mica[10] prandebant quum ego intrabam, meaque nova narrabam — nos prope intra ictum tormentorum incursoriæ Albis iacere, ducentos captivos Anglicos intra auditum vocum nostrarum teneri, ac, denique, si Germanis ita visum esset, posse eos horum numerum

9. *Catasta, -æ,* est podium, locus in navi editior, ubi navarchus stare solet; alioquin alius quilibet locus editus, veluti unde oratores suos alloqui solent auditores; moderni suis linguis *pontem* vocant.

augere, quod vel minimus sonitus, uti stridor nostrarum trochlearum[11] eorum velites[12] adversum nos allectare posset. In propatulo esse ne signa quidem duobus lenunculis absentibus edi debere; itaque duo nautæ dimittebantur ad eos arcessendos, interea autem tempus nobis sumpsimus ad deliberandum quid potissimum facto opus esset.

Alterutrum, ut videbatur, nobis assequendum erat — unum, ut incursoria aut deprimatur, aut capiatur; alterum, modo id fieri possit, ut captivi liberentur. De impetu in hostem directa fronte, ne somniandum quidem erat — nos enim nimis pauci, Germani vero tum nimis multi, tum optime armati erant. Casu quodam habebamus in Hattie Rebecca aliquot corticulos[13] dynamis[14] copiamque tortilis[15] septati,[16]

10. *Mica, -æ,* præter ordinarium et consuetum sensum, ac, fortasse *propter* eum sensum, parvum cœnaculum, sive triclinium, cubiculum exiguum se cibo reficiendo præparatum et adaptatum, significat.

11. *Trochlea, -æ,* est rotula, vel plures rotulæ, in modiolo firmatæ, quibus funes inserti sunt, quorum ope maxima etiam onera minima vi in sublime attolli, aut in ima demitti solent.

12. *Veles, -itis,* m., est miles, aut nauta, fere semper numero plurali, propter rei naturam, quia velitum est hostes extra ordinem atque aciem, disquirere, eos aggredi, et ad prœlium provocare atque cogere, sive lacessere.

13. *Cortex, -icis,* m., proprie exterius tegumentum arborum, latiori sensu, cuiuscunque rei, uti putamina fructuum, dein, quidquid his simile est. Forma eius dimi-

aliqui autem nostrum putabant noctu effici posse ut dynamis scapo[17] Albis clam subigatur. Ad hoc efficiendum opus non esse ut lenunculus nimis prope ad navim accedat. Posse lenunculum plura centena pedum

nutiva, *corticulus*, hic adhibetur ad designandum id, quod Franci a *charta* deducunt, per *chartago*, *chartage*, *cartage*, *cartouche*, quod, denique Angli additis et mutatis aliquot litteris, in *cartridge*, detorserunt. Est itaque vaginula, olim ex charta, sed nunc iam ex aurichalco, aut ex cupro, quæ pulveribus pyriis, aut alia materia chemica displosiva completur, efficitque *onus* sclopetorum, tormentorum.

14. *Dynamis*, *-is*, f., non dynam*itis;* vocabulum sequioris Latinitatis, in qua copiam, abundantiam significat, eo sensu ut *vis;* tum potentiam numerorum, uti radicis quadrati aut cubi. Hic sensu moderno, aliquantum extento accipitur, nempe *virium*, *potentiæ*. Est ex verbo Græco, *dünamai*, valeo viribus, potestate, possum, multum possum, unde et Romanis *dynastés*, homo potens, præpotens, unde *dynasta*, *-æ*, princeps, rex, atque *dynastia*, *-æ*, familia regnans. Dynamis, igitur est condimentum chemicum ingentis potentiæ, quod quum sese succensum distendere satagit, quidquid impedimento sibi est, in rudera, micas atque pulverem diruit, haud aliter quam fulmen.

15. *Tortile*, *-is*, n., a nomine adiectivo *tortilis*, *-e*, quod torqueri potest, aut quod ex torsione producitur. Ut nomen substantivum Romanis non usitatum, quantum sciam, sed effinxi ad designanda fila metallica, e quibus funes, oræ, in levandis magnis oneribus, in ductandis navigiis adhibitæ nentur, variæque telæ texuntur.

16. *Septatus*, *-a*, *-um*, Romanum, a *septus*, *-a*, *-um*, a *sepio*, *-ire*, *-ivi*, *-ptum*, circumdo, incirculo, circumcludo, circumnecto. Significo autem hoc vocabulo sepimentum, tegumentum subinde sericeum, alias ex gummi, quo fila idgenus conteguntur, ne manibus nudis, aut aqua contingantur.

distare, dynamis autem cubulis ligneis imposita posse ad navim pelli, quum dexter quis natator scapo rite aptaret. Huic proposito unum repugnabat præter exilem spem successús, salus nempe captivorum, qui simul cum navi interituri essent.

Apparatum aerographicum in nostra navi nullum habebamus, fieri tamen posse parebat ut navim, quæ apparatum idgenus secum gereret, in Pulvinis reperire possemus, et in hunc modum cum Anglicis navibus circitricibus, quæ in Septemtrionali Atlantico circabant, in communicationem venire. Verum obices nec hic deerant. Balsora quidem ex oppido Provincetown, ut nobis cognitum erat, habebat quidem talem apparatum, nec eam a nobis procul ad Orientem abesse sciebamus, sed situm eius declarare vix erat in nostra potestate; insuper, verosimile non videbatur eam tali codicillo signorum fuisse instructam, quo nuntium nostrum ad circitrices tali perferre posset claritate, ut nostros conatus simul etiam Albi non revelaret; omnes nos etiam putabamus Albim quamvis penuria laboraret lithanthracum, satis habere sibi reliquum, quo capturam suam in nebula difficilem redderet.

17. *Scapus, -i*, est lignum, ferrum, chalybs, aut quælibet materia, in speciem perticæ, vel pali, estque teres, sive stans ad perpendiculum, sive iacens ad planum, uti stirps arboris, candelabri; est axis navis vaporariæ, cuius extremitati turbines affixi sunt, qui in aqua versantes, navim impellunt ac propellunt.

Ad hanc disceptationem, quæ subinde satis vivax exarserat, magister ne verbum quidem protulit. Ipse prandere perrexit, nulla ullius nostri habita ratione. Hoc peracto, in sella reclinatus, auscultabat paulisper — tum patiná suá gestu alacri retrusá, cubitis suis mensæ applicitis, eo fari cœpit modo, qui, nisi eum novissemus, index iræ videri poterat.

"Ex mea quidem," inquit, "sententia, ille Alexander ad Matrem Carey deberet reverti. Ipse enim certe eius pullus est. Cette — num creditis eum scire ubi versetur? Anne credit ipse Hunnos ad circandum parvulum dromonem in medio Atlanti dimittere, an vero scitne ipse se hicce in vicinia littorum iacere?"

"Nos nimirum a tramite vaporariorum haud paucillum absumus, non secus atque illa incursoria, ut eam vocatis, et hoc bene memineritis. Plurima quæ disseruistis licebit vobis oblivisci, sed quod ego vos moneo, memoriá teneatis — vos ex tramite pulchre exesse. Quidnam Hunnus iste huc accessit — ad comparandos lithanthraces? Putatisne eos duos nautas lithanthraces dromone suo advecturos, an vero creditis eos fingere esse futurum ut Gubernium Newfoundland indulgeat conductionem onerariæ, qua lithanthraces in mare evehant? Illi quidem lurcones non insaniunt, nec, profecto, etiam supplodimenta[18] hic serunt, quod fluxus eis adversatur; cœterum supplodimenta hic utique non serent. Cur

ea navis hic sit, satis est clarum, nec renuo id vobis dicere, si res ipsa vobis non illuxit. Ipsa hic est cum mergularum suppetiis — ob id ea hic est — et in itinere etiam aliquantum negotii perfecit, nihilo tamen minus huc pervenit, nunc vero aliquam piscatoriam quæritat nauculam, quæ parata sit vehem oleacei[19] atque torpedinum[20] suscipere, eamque in aliquo idoneo loco in littore abdere, ubi qui iis egerent, facile reperirent. Nunc vero aliquid plusculi addam. Illi duo data opera in littus dimissi sunt, quod ii scirent, quemadmodum nauculæ piscatoriæ nuntia mitti possint, eamque docere, quí ad Albim acceden-

18. *Supplodimentum, -i*, a verbo *plaudo*, cuius composita sunt *ad-plaudo, applaudo, complodo displodo, explodo, supplodo, h. e., sub-plaudo*, quod proprie manuum concussarum sonum imitatur aut pedum tripudium in solo; tum quemlibet sonum subitum, concussionem quamcunque; ita iam et Romanis. Nomen substantivum a me formatum ad exempla aliorum similium, uti *impedimentum, emolumentum*, et plurima alia. Significari autem eo volo apparatum bellicum aquis mersum, cui si carina navis ex improviso se impingat, concussio eum succendit, ac *supplodens*, navim diruit. Moderni eundem apparatum a *minio*, quod pigmentum rubrum significat, quo vocabulo *fodinam* volunt designare, quod minium e fodinis obtinetur, proinde veluti fodinam subaquaneam, vocitant, quod certe a longinquissimo est petitum.

19. *Oleaceum, -i*, materies ita vocari potest ex oleo fossili, vulgo *petroleo*, sive oleo saxeo, elixata; est spiritus olei, gas enim est vulgaris forma Germanici vocabuli *geist*, Anglis *ghost*, quod *spiramen, spiritum* audit, vultque id dicere quod nos Latine "spiritum oleaceum" appellamus, aut uno verbo, *oleaceum*.

dum esset. Verosimile est Albim littori propius accessuram, et id sive hac nocte, sive nocte crastina perfecturam, sed nos eam antequam transvecturam fecisset, turbare nolumus. Summum nostrum negotium non adeo illud est ut eam capiamus, aut captivos liberemus, sed potius ut comperiamus ubi et quomodo suppetiæ in littore dispositæ sint, et ut U-nauculas,[21] quæ eas quæsitum venerint, intercipiamus."

"Georgius Canby hic invenit lagenam, conspicatusque est navim. Licebit nunc ei dromonem ingredi, littus petere cum Vilhelmo Peters, et nuntium in officinam Adiutoris Ducalis in oppido Sancti Ioannis deferre — et monebis eum Georgi, ne pisces deturbet. Illi interim per signa æque facile nuntiare possunt cuncta prospere, aut cuncta perperam, geri, at nemo capietur, nisi significatio in bonam partem fuerit. Nunc vero procede, et nihil nos cures. Nos Sanctum Ioannem navigabimus simul ac nauculæ advenerint, ventumque nacti fuerimus."

Iam erat prima cum dimidia quum dromone di-

20. *Torpedo, -inis, f.*, est vocabulum Romanum, a *torpeo, -ére, torpor, -is, torpidus, -a, -um, torpesco, -ere,* quod totum languorem, lassitudinem in agendo denotat; sed et piscem significat alicuius generis electricum, hinc est nomen istud in mechanicis derivatum.

21. Mergulas, Germanis ducibus, in usum venit *U-nauculas* appellare, ut vulgo creditur, a Germanico nomine *Unterseeboot*, i. e., submarina naucula.

scessimus, quum et lenunculi adventabant. Per horam et dimidiam remigavimus, ne vel sonus machinamenti nostri in Albi perciperetur, prohinc haud magnum iter emensi sumus ad horam usque tertiam pomeridianam — tribus horis cum dimidia postea quam vaporariam[22] conspexeram. Media erat nox antequam oram attigimus, ac tum nesciebamus ubi essemus. Nox autem ita erat tenebrosa ac nubibus obsessa, ut phari in Promontorio Race lumen ne conspicere quidem exspectabamus, ego tamen sperabam me sirenem auditurum; itaque quum nos prope littora versari sensissemus, quin eam audissemus, ad Meridiem nos vertimus. Post ulteriores denique tres horas, fortuná magis quam consilio, portum invenimus, in quem incurrimus — verosimiliter plenis duodecim horis postea quam dromo Albis, littus attigisset.

Portum agnovimus intrantes, prohinc crepidinem sine temporis iactura reperimus, et, postquam dromonem destinavimus, prætergredientes piscatorum gurgustia, denique ad tabernam pervenimus.

Una tantum nobis via cum Sancti Ioannis communicandi patebat — per telephonum — ea autem communicandi via periculum minabatur nuntii mei divulgandi; etenim et tabernarius, et operator telephoni in officina mediana[23] necessario testes dictorum

22. *Navis* subauditur.

meorum futuri essent. Verumtamen mora magis periculosa erat quam ipsa in publicum enuntiatio; insuper ego tabernarium optime novi tamquam civem, cuius fides omnino præter dubium esset, atque hominem non sine nativa quadam vafritie. De operatore telephoni utique scire nihil poteram. Tum cogitatio mihi incidit qua effici posse credebam, ut nuntium meum secreto transmitterem per puncta atque lineolas, ad morem alphabeti telegraphici, exceptorium[24] telephoni manipulando — sumens aliquem in officio militari Sancti Ioannis alphabetum idgenus legere posse, operatorem autem telephoni non posse. Utut sit, statui meum nuntium periculo magistratus transmittere.

Igitur tabernarium suscitavi, et quum me intromisisset, quæsivi ab eo, utrum liceret mihi sui telephoni usum capere in re per quam gravi, de qua nihil divulgandum esset, et, imprimis, utrum suus apparatus partiarius[25] esset.

"Non est;" respondit ille, "tuto ages. Prorsus nemo te subauscultabit."

Dimidiam horam insumpsisse mihi videbar antequam iuncturam cum officio militari efficere poteram;

23. Idem quod vulgo "centralis."
24. Ita voco, quia eo *excipimus* nuntium, locutionem.
25. Divaricatus, non privatus.

sed quum semel proprium in adverso fine nactus sum hominem, reperi illic statum rerum optime citoque intellectum fuisse, perinde atque grato animo nuntium receptum et consilium celeriter captum.

"Operator telephoni omni fide dignus est. Perge narrare." "Tum," respondi ego, "hæc sunt facta. Germanica incursoria, Albis, prope ad littora vestra iacet in nebula. Eam heri meridie vidi; notula autem, quam in lagena ab uno captivorum in navi proiecta inveni, narrat Albim ex hesterno mane immotam ibi iacuisse, quum ab ea duo nautæ dromone dimissi sunt — ut credibile est, ad littus. Navarchus Eben Carter navis Hattie Rebecca me cum alio suæ catervæ membro ad te de his rebus certiorem reddendum suo dromone delegavit et ad nuntiandum tibi, videri sibi Albi in proposito esse suppetias ad usum mergularum in littus convectare, ope, verosimiliter, alicuius lenunculi piscatorii; insuper, ipse me singulari cura tibi dicere iussit, ut pisces deturbare nolles. Da operam ut suppetiarium mergularum reperias, si possis, capiasque mergulam cui eo venire contingat, antequam circitrices edoceas, hæ autem Albim abigant."

Officialis post hæc quæsivit nostra nomina, et ubi reperiri possemus; item nonnulla particularia quoad tempus, distantias atque plagas, tum subiunxit:

"Tu, sociusque tuus, munus vestrum probe obi-

vistis. Navarcho Carter, suisque, renuntiabis eos officio publico rite functos esse. Rem totam nobis diligenti curæ futuram."

Nunc iam quarta erat diei hora. Ego et Peters somnum nunc iam fere viginti quatuor horis non cepimus, itaque hospitalem tabernarii invitationem grati accepimus, camisque[26] ab eo nobis oblatis libenter nos commisimus. Postridie circa nonam horam surreximus. Tempus usque erat nebulosum, sed vapores depressius iacebant, flabra autem a mari ad terram versus ferebantur, dum, interea, in sublimi aer clarescere, sol vero nubila iam perrumpere videbatur. Ante tabernam, in porticu, aliquis sedebat, et quum ego paulisper circumspexissem, atque introiturus essem, is sic me affatur:

"Tune modo a Pulvinis?"

"Equidem," refero ego, "longiûscule ab hinc in ora habito, et heri postmeridiem horsum veni, sed nebula ita erat densa, ut sero tantum appulissem."

"Ita, sane," ait ille, "primo mane te audisse mihi videbar. Naucula tua mihi paret tamquam alicuius Pulvinariorum."

"Hem," respondi ego, "si tu eam iam hoc mane videris, plus qûam ego vidisti. Num tu aliquem Pulvinariorum quæris?"

26. *Cama, -æ*, lectulus est uti in navibus, quilibet lectus imus, parvus, speciali usui accommodatus.

"Haud ego quæro," refert ille. "Relatum audivi heri in Sinu Trepassy, Alicem Mac desedisse, et quum te audissem heri vesperi introvenire, mirabar utrum non eius naucula huc advenisset."

Hoc, profecto, erat aliquid novi, quandoquidem ego Alicem Mac nulli memoraveram. Nova poterant e tortili telephonico in subreptum esse derivata; operator poterat nuntium effutiisse; fides alicubi poterat esse prodita; at relata nullo idgenus modo poterat explicari. Nec ego, nec Peters nomen eius navis memoravimus, nec facto allusimus eam navim ab Albi depressam fuisse. Tabernarius novit nihil plus quam quod me per telephonum enuntiare audiverat, nunc vero nova manifeste iam e Sinu Trepassy spargebantur. Est certe aliquis qui id scit, cogitabam mecum — sed cur ait ille navim desedisse? Id verum non est — me ad confitendum tentat, an vero casu quodam in indicium incidi quod ad reperiendum Albis dromonem ducat in Sinu Trepassy? Ænigmata hæc erant quæ solertem curam exigebant, unde verbis suis hac quæstione respondi:

"Fuitne Alix Mac Pulvinaria?"

"De ea re nihil comperti habeo," respondit, "idgenus aliquid audivi, sed exitum non exspectavi, nec plus de ea re cogitavi, donec tua naucula heri vesperi huc incurrerat. Cum Pulvinariis parum mihi com-

mercii est. Ego secundum littora piscari soleo; mea naucula non satis magna est ad longe errandum."

Interea iam tempus adesse ratus ut ientarem, introivi, et a tabernario sciscitabar de homine in porticu sedenti.

> "Nos," respondit ille, "eum Ioannem tantum Kneebone appellamus. Is e regione Brunonis Vici advena est, ac, ni fallor, in fodinis circa Sidney solitus est laborare. Binos circiter annos hic victitavit, et ut ipse recte fassus est — naucula sua non satis est magna, hinc secundum littora piscari solet. Siquid famigerationis audire cupis circa res quæ in hac insula circumferuntur, ab eo cuncta audies. Ipse hoc mane introvenit rete et aliquantum nicotianæ emptum. Ex more suo ibi sedebit ubi modo est, fortasse usque dum nebulæ aliquantulum solvantur. Tum cum filio suo prodit in sua naucula, cras autem, ut fere solet, si eum convenies, quæ se absente gesta sint, tibi narrabit."

Quo hæc omnia tenderent, capere non poteram, dum interim caffam sorbillabam, et cum ænigmate in cubiculo postico luctabar, quum Vilhelmus Peters intravit.

> "Heus, tu," me inclamat Peters, postquam ei eventus narravi, hodie Sanctum Ioannem non navigabimus. Fortasse senex illic est, sed exspe-

ctandum ei erit donec nobis potiatur. Circa Sinum Trepassy geretur aliquid hac vespera, aut vespera crastina, aut non geretur, sin minus ibi, tunc hic geretur. Exspectabimus."

Proinde binos dies solidos illic exspectavimus. Tempus interea nebulosum permansit, et sic multi lenunculi piscatorii sese in portu continuerunt. Negotia in taberna prospere agebantur, adventores erant multi, diversisque diei horis varii otiosi ad disceptandum de novis, quæ huc de impetu Fœderatorum a fronte circa Sámaram[27] casu emanarunt — de mergulis Germanorum — materia substrata nautis classiculæ piscatoriæ perquam grata, et cum his novis iunctim et nova loci satis avide iactabantur. Quædam ex his loquelis cum nostra conscientia præsentiæ Albis haud procul ab insulæ littore, mihi atque Peters suadere videbantur Sinui Trepassy, Sanctæ Mariæ diligenti cura ac discretione invigilari, sed quoad nos comperire poteramus, quin quidquam repertum fuisset. Nihil prorsus gerebatur in Sinu Trepassy, nihil fiebat Sanctæ Mariæ, in parvulo autem portu, ubi nos tam impatienti curiositate exspectabamus,

27. *Sámara, -æ*, nomen fluminis in Gallia Belgica, Ambianorum (Amiens), quam regionem Cæsar *Sámarobrívam* (B. G., Lib. V., 24, 47, 53) appellat, Inscriptiones autem Sámarabrívam, sed flumen non memorat. Ævo Medio eius nomen erat *Sómena*, mox post *Súmena*, hodie autem *Somme*.

tanta erat quies, quanta ante magnam illam Agoniam, diebus priscis, regnare solebat.

Ita revera parebat acsi nubes caligoque cum hoste fœdus pepigissent, quoniam tempestas magis idonea ad convectandas ad littus suppetias optari haud poterat. Potentissima classe Angliæ in pelagus dominante omnino difficile erat suppetiarias in littora dimittere, sed siqua suppetiaria semel prodiit, eratque in vicinia littorum Newfoundland, omnes onerosi labores huius tragici ludi latibulandi in confusionem ac frustrationem quærentis conversi sunt. Oræ Newfoundland longæ sunt, multis laceratæ sinibus, consertæque insulis. Ii, quibus muneri datum erat suppetias Albis littori committere, nihil nisi uni, in antecessum selecto idoneo loco in tam longe lateque distentas oras debebant invigilare, quum, contra, præsidiis, custodia omnium locorum omni tempore demandata erat, — munus, ut status rerum se hoc biduo habebat, tam mihi, quam Peters, humanas vires excedere videbatur. Præterea, Albis, tam periculoso situ, prope a littoribus, propeque ad tramitem excubantium circitricum, diu exspectare non poterat. Ipsa enim ad munus speciale venit, quod moram non ferebat, ad exsequendum id munus occasionem iam habuit. Ego et Peters existimabamus opus id iam perfectum, suppetias iam deditas fuisse.

Dies denique tertius clarus ac serenus illuxit. Su-

per aquas usque pendebant fluitantes globi nebularum, qui ad Ortum atque Austrum minores erant, horizontem clarum relinquentes, sed ad Septemtriones grandiores, longioribus relictis apertis aquarum spatiis. Nulla amplius supererat causa cur ego et Peters in parvulo portu ulterius exspectaremus, multæ autem causæ suaserunt ut ad Hattie Rebeccam in Sancti Ioannis primum quam possemus regrederemur. Id effecturis consultum videbatur ut inter eundum diligenti cura observaremus indicia secundum littora, quæ locum suppetiarii mergularum prodere possent. Satis enim clarum erat Germanos oras Americanas mergulis experiri. Mergula enim mercatoria, sic vocata, nomine Deutschland, non pridem Norfolk visitavit. Altera, Brema, dicebatur iter huc habere. Mergula bellica aliquot navigia in aquis Americanis torpedinibus revera mersit; proinde, si commeatus, aliæque suppetiæ subministrari possent, paullo post plures mitterentur. Fieri poterat ut quoad Angliam hæc fuisset crux belli, atque ut hic, in littoribus Newfoundland, ternis milliariorum millibus ab acie ad Sámaram prœliantium, salus magnorum exercituum, Imperium Anglicum tuentium, alacritati ac fidei paucorum inniteretur. Status igitur rerum moram non patiebatur. Suppetiæ, antequam quis iis indiguerit, missæ haud erant. His semel eo collocatis ubi reperiri possent, mergulæ quovis momento exspectandæ erant.

Circa Sinum Trepassy, atque Sanctæ Mariæ, littora verosimiliter caute erant custodita; et ut ego et Peters in rem sermonibus disquirebamus varia coniectantes, notio subiit animos nostros eventa quædam, quæ suspiciones eo direxerant, data opera esse gesta. Si hæc vera fuerint, satis causæ erat quare putaremus littora, quæ profecto custodia egerent, in contrario esse sita, scilicet adversum Sancti Ioannis, non ad Sinum Trepassy. Atqui hoc ipsum erat quo nos eramus ituri, atque pretium operæ nobis videbatur ut inter eundum alacri animo vigilaremus.

Eo claro mane mature nos viæ dedimus; et ut deorsum ad crepidines itabamus, Vilhelmulus quietior solito erat, ac profundius meditari videbatur. Dromonem in ordinem redegimus, labrum oleaceo replevimus, et ut machillam[28] calefaciebamus, Vilhelmulus sic me affabatur:

"Mi Georgi, — via pedestris præclara est — mihi pedibus ire consultum videtur."

Sancti Ioannis satis distabat, haud tamen plus quam quod ille facile emetiri par erat — mutatio consilii tamen subita erat, quam ego minime capiebam.

"Num tu," respondit Vilhelmus, quum causam requirebam, "non perspicis, quam parum ex naucula spectando in littore observare possis, et quod quum

28. *Machilla, -æ,* est correpta forma abbreviatæ *machinulæ,* ex "máchina."

indicia quærimus, ea verosimillime in littore repe-rienda sint? Tu unam sequeris viam, ego alteram, et sic videbimus quidquid videri possit, modo adversum loca spectemus propria. En, Ioannes Kneebone, cum grandi suo filio retia sua sarcit — cur non ipse ante-hac prodiit?"

"Si tibi pedibus ire libet, utique per me licebit," retuli ego, "quamquam nullam veram eius rei cau-sam, cur ita facias, video."

"De hoc non laboro," inquit Vilhelmulus, "sed quoniam rem tam arcte prosequor, nolo ut ea me fal-lat. Latibulum in littore, ubi solida vehes naucularum recondantur, est veluti siquis de homine loquatur in fumario, — difficulter eum invenias, sed semel in-vento, nullum ei est effugium. Ego vero eo vena-tum."

Vilhelmulus itaque ire perrexit, ego autem ad dromonem redambulavi, eoque adversum Sancti Ioan-nis iter carpsi. Ioannes Kneebone, quantum mihi pa-rebat, retia sua, dum ego ab ostio portûs ad Septem-trionem cursum flectebam, non reliquit. Quin, profe-cto, vix de eo cogitavi, nec Vilhelmuli quæstio memo-riæ meæ incidit usque eo dum in alto navigabam, lit-tora inter eundum observans, quum sonitum animad-verti dromonis, a puppi haud procul. Is celeriuscule appropinquabat, ego vero, quamvis littoribus invigi-lando omnis essem mersus, non poteram quin mirarer

quis ille esset, quoque tenderet. Hæc quidem primum res erat meræ curiositatis, sed haud multo post in quæstionem accrevit ut plane personalis esse videretur, quandoquidem dromo ad me propius accessit, proinde scire cupiebam, quo consilio illi duo in puppi sedentes ducerentur. Tam enim prope appulerunt ut futurum exspectarem ut illi me alloquerentur, sed illi mox prodiderunt sibi non mecum negotium esse, namque se procul continebant atque altum versus tendebant, — non tamen ita procul ut eos non agnoscerem. Quoad meam agnitionem nullum dubium superesse poterat. Isti enim Ioannes Kneebone, eiusque filius fuerunt.

Vix propriis meis oculis credidi. Lenunculus piscatorius Ioannis Kneebone erat parvus, ut in oris Insulæ per generationes solebant esse. Undenam iste dromo oriundus erat? Nullus talis in portu habebatur, nec erat hic eiusmodi, quali piscatores Newfoundland utebantur. Tota res parebat tamquam evulgatio alicuius rei, quæ hactenus in secreto tenebatur. Dromo ante oculos meos erat dromo Albis — nullus alius esse poterat. Id si Germanicum vexillum gessisset, clarius esse non poterat — ita mihi dumtaxat videbatur — ac tum — ubinam servabatur? E portu certe non prodivit. Necesse itaque est eum alicubi in littore abditum fuisse, nunc vero, plena diei luce productum in celeri itinere adversum Sancti Ioannis esse, acsi a

Furiis ageretur. Aliquid improvisi, ut putabam, sub-latare debet, aliquid nempe improvisi, quod antea quam ego et Vilhelmus hoc mane pagum reliqueramus littora ad Septemtriones observaturi, alter, non exstiterat. Instinctus Vilhelmuli nunc opportunus esse parebat. Nunc iam quædam indicia docebant posse homines in camino fumigari. Dromo Albis in apricum prodiit, nec spes deerat fore ut propositum quoque mox proderet.

Quo consilio hæc excursio suscepta fuisset, haud obscure coniectare poteram.

Kneebone cum filio monitum alicui conabatur nuntiare, quod itinere terrestri deferri non poterat, alioquin ita detulisset, nec dromonem propalasset. Proinde, qui momendi existimabantur, in mari erant. At si Kneebone Albim petiturus esset, modo non littora sequeretur. Itaque aut aliquos consocios in quodam lenunculo piscatorio ex aliquo portu Newfoundland quæritabat, aut vero nihil minus quam ipsas mergulas. Consocios eum quæritare minus erat probabile. Post hoc facinus nec Kneebone, nec suus filius, unquam amplius poterant solum Insulæ pedibus contrectare, lenunculi autem piscatorii effugium iis nullo pacto præstare. Necesse ergo erat eos ipsas quærere mergulas. Atque hæc erat mea sola illatio, et quo magis hæc mecum revolvitabam, tanto videbatur verosimilior. Summo mane, antequam ego et

Vilhelmulus Peters iter Sancti Ioannis versus carpseramus, necesse erat signa ad mergulas dimissa esse, fortasse aerographemate, quod si factum est, — mergulæ, nuntio accepto, sibi accessum patere, se sine mora mergerent, littoraque peterent. Si vero hoc factum esset, nulla amplius communicatio cum iis fieri posset.

Confusio itaque Ioannis Kneebone, quum eo mane me atque Peters prodire vidisset, fingi facile potest. Videre ei licebat nos rectá eo tendere ubi mergulæ illæ littora assecuturæ erant, ipse vero omnino ignarus erat limitum nostrarum cognitionum atque consiliorum. Nos multo pluris conscios esse, ac plane nimii, ex omni motu nostro sibi colligere poterat. Aliquo improviso, et incomprehensibili modo nos dromonem Albis littora versus prosecuti eramus, acsi oculi nostri nebulas Pulvinorum densissimas penetrassent, nunc autem plena diei luce in via essemus ad mergulis occurrendum accedentibus, acsi nos codicem privatorum signorum suorum legissemus. Introitus mergularum in portum periculosus erat ipsis mergulis, periculosus erat lenunculis, et etiam magis periculosus erat suis sociis in littore. Insuper res moram non ferebat. Kneebone, eiusque filius mergulas necessario consequi, easque monere debebant, et effugium sibi ab his exspectandum erat. Hæc saltem mea erat e rebus illatio.

Tantum post aliquod tempus dromone meo nebulam invasi, sed tam spissam eam reperi, ut causa salutis meæ a littore deflectendum iudicarem cursumque a littore paullo longius dirigerem. Ubi tunc situs fuerim coniectare tantum quivi, tamen noveram me a Turbine — caverna nempe perquam insueta, in quam fluctus omni sua vi irruere solent, unde factum esse videtur ut eius penetralia prorsus exesa essent, quippe quum Insulæ frons rectá obversa esset violentiæ tempestatum Septemtrionalis Oceani Atlantici, omnis impetus fluctuum huc collimaret, unde genus camini effossum est, per quod aqua, tamquam ex ingenti silano, in sublime evomitur, ita ut per milliaria in circuitu cerni possit.

Interim sonitum aquarum secundum littora diligenter auscultabam, subinde ad melius audiendum machinulam relaxabam, quoniam dum ea usque pulsabat, eius echum a nebulis reverberatum me audisse mihi videbar. Sonus procul aberat. Nec capio quí sonum vel maxime, meá machiná strepente, exaudire potuerim; sed nunc iterum auscultabam in nebula, sed modo me non errare certum erat. Strepitus sine dubio aderat, et nunc eum omnibus artubus meis percipiebam. Nebula repente omni frigore me corripiebat, acsi ventus per fluitantes glacies perverrisset. Kneebone prosequebar. Vicissim Kneebone, eiusque filius, mihi insidiabantur, ac per nebulam occasionem

nacti suam sunt. Præter cultrum nauticum in balteo meo prorsus eram inermis. Audito echo, machillam meam extemplo stiti ac brevi post, — subito — echo quoque stitit. Non iterum concitus, immotus sedebam. Me nebulam solum ingressum esse nunc utique palam erat me errasse; sed quum per totum diem huic prosecutioni me dedissem fieri posse ut hi ambo me adoriri possent, nunquam mihi in mentem incidit. Si ipsis nihil nisi desiderium effugiendi in animo fuisset, aut mergulæ admonendæ, nulla profecto iis causa suberat quare moram mei gratia facerent, — nisi fortasse casu eos ad finem sui effugii secutus sim, nec sibi aliud ad eligendum reliquerim.

Nihilo tamen secius ipsi mantabant. Quin, profecto, et conversi sunt, meque præstolabantur. Tum, cogitabam mecum, status rei sese explicat — sumus — ambo dromones sunt — in loco stato. Germani venient; ego vero mirari cœpi quid Vilhelmulus Peters nunc agitaret. Certe eo mane quo iter carpsit necesse erat eum audisse dromonem Albis. Erat enim hic toto die in conspectu. Nemo enim qui meum observasset dromonem, potuisset Albis dromonem non animadvertere. Peters utique homines in dromone agnoscere nequivit, si sint semel æquor assecuti, sed credibile erat eos proficiscentes vidisse, aut certe conspectus dromonis dubium in eius animo concitare poterat, unde ille venisset, et quo tenderet.

Data assumptione, quod dromo suam attentionem cepit, in littore facile poterat quoddam vehiculum invenire, ex quo utrumque dromonem oculis sequi posset, quod quidem ego ex totis præcordiis exoptabam, namque si id fecisset, firmiter credebam futurum ut ad reperiendum suppetiarium mergularum rectá deductus fuisset. Nullum enim mihi prorsus suberat dubium, quin hoc prope illic alicubi lateret, ubi mea naucula tunc staret; atque nisi Peters id iam reperisset, certe ego eram solus, qui eius situm cognovisset, ego autem eram in nebula solus, arbitrio horum duorum relictus, quin quod repereram, alteri cuiquam revelare possem. Machillam meam in motum agere, quin Kneebone, ubi sim, prodam, nequivi. Vel motus remi, aut scalmi,[29] eos in me allicere posset. Spes effugii haud erat talis, ut gratia eius operæ pretium esset id tentare; prohinc illic sedere perrexi, tumentibus undis oscillans, adversus littora vergens, flabris a Pulvinis pulsus, intentis in nebulam oculis, acsi eam acie penetrare possem, sed nihil attentavi.

Quamquam illi hic præsto erant, videre eos non poteram. Pone illud canum velum vaporum alicubi latebant, quibus nebula haud exspectatam occasionem præbuit. Hæc rerum conditio ignorari nequibat. Solo certamine ea inter nos dirimenda erat. Ut vero fixis oculis observabam, nebula speciem quandam induit,

29. *Scalmus.* i, est retinaculum remi, thole, row-lock.

speciem vultûs, paullo supra labra nauculæ cuiusdam, primo quidem haud clare, sed mox clarius et clarius, dein in tantum accrescere animadverti, ut vix humanus esse videretur. Sed sive magnus sive parvus, is Ioannes erat Kneebone. Dextra sua pone tergum aliquid tenebat, ut genibus reptans, aut proclinatus, ita agebat acsi in me, si nauculæ satis prope convenirent, insilire videretur. Eius habitus non erat hominis qui sclopellum[30] minaretur, atque eotenus æquales eramus. Verum ipsi erant duo, ego autem solus. Iuvenis Kneebone in puppi stabat, remo in manu, quo nauculam sine labore et omni silentio prorsum pellebat.

Quum eorum propositum esse videretur lateratim me convenire, more Kneebone et ego in fundo dromonis mei quadrupedavi, et quum me satis prope esse existimabam, machillam in summum concitavi, tum clavum converti, ita ut dromone prorsum currente, eorum dromonem a puppi oblique perstringerem, remo, qui in suo scalmo firmiter fixus erat, percusso, iuvenem in aquam elisit. Hoc facto, res inter nos iam nunc ab initio plus quam æquatæ erant.

Unicum nunc iam propositum meum erat cum Ioanne manum conserere, etenim si huius voti com-

30. Instrumentum iaculatorium minus, quod in vaginula coriacea, aut vero in sacculo geritur.

pos futurus essem, occasio illi filium servandi eriperetur. Quapropter eum non præterivi, sed nauculam rectá reflexi, meáque nauculá suo dromoni appressá, qui sic mecum moveri cœperat, filium, qui neutram nauculam assequi poterat, solum reliquimus. Si clavum paucis minutis ante mittere potuissem, homine meo potitus essem, et æquum certamen cum eo inivissem, verum ut ego manum porrexeram, ipse se declinavit, machillamque dromonis Albis incitavit. Si ipsi a me evadere datum esset, hominemque ex aqua sublevare valuisset, ultima mea occasio me fefellisset. Res itaque moram non patiebatur. Apprehendi itaque labra dromonis, calcibus quam poteram maxima vi machillam meam percussi, me in labrum nauculæ usque attraxi, donec in fundum dromonis Kneebone lateratim devolverer.

Una tantum cogitatio mihi nunc obversabatur — iuvenem, siquo modo possem, devitare, et cum patre solo rem dirimere. Dromo meus derelictus iuveni utique necessario sola erat salus. Nauculam facile consequi poterat, sed non mihi in proposito fuit ut ea potitus, patri in certamine adesset, proin, si machilla mea diruta esset, nihil mihi ab eo timendum foret.

Contra, machilla Kneebone in cursu erat, et in quocunque eventu in cursu servari debebat. Interim eniti me oportebat ut ipse inter Kneebone eiusque machillam essem, quidquid eveniret. Quem cursum

dromo secuturus esset, dum certamen sæviret — recti bonique faciendum mihi esset, sperandumque a fortuna, ne aut filius eum conscenderet, aut in Turbine capi posset.

Kneebone interim ad servandum filium proruit, quum ille in aquam elisus erat, et quum manus ad capiendum eum porrexisset, casu culter sibi excidit. Hunc cultrum in suam nauculam incidens animadverti, verum Kneebone, antequam sive eum tollere, sive meum protrahere potuissem, mihi insiliit, meaque gula prehensa, toto suo pondere me supinum oppressit. Dromone in turgido oscillante, nos huc et illuc volutabamur, ut iactatio dromonis ferebat, ego situm subinde nactus, quo cubitorum usu Kneebone adegi, ut læva sua sedili fortiter inniteretur dum me premeret. Crura quidem mihi soluta erant, iis tamen me suffulcire, quin caput meum infra sessibulum in latere nauculæ retruderem, nequibam. Manu firma eram constrictus, sed pedetentim et ipse Kneebone tantis videbatur esse in angustiis, in quantis ego, quamvis, fortasse non in tanto incommodo. Ut me feriat, seque liberet, non ei dabatur, nec utraque manu ad gulam meam comprimendam uti audebat. Attamen licebat ei manum lævam a transtro amoliri, seque in crate fundi fulcire. Interim dum fulcimentum suum mutabat, sensi eum disquirere cultrum, quem uterque nostrum probe novit inibi occultari. Iam erat

uterque nostrum viribus fere exhaustus, halitus sibi, æque ac mihi, hæsitabat, nec locum suum se facile sustinere posse videbatur. Subito, quum naucula solito plus subsiliret, ipse lævum brachium a latere suo, ad se arctius fulciendum adversus cratem protenderet, ego rectum brachium meum subter axillam eius ac per scapulam ad vultum usque eius protrusi, palmoque meo maxillam eius prehendens, caput eius retro pressi, occluso eius spiritu. Ut vero ipse mihi se eripere conabatur in genu se erigens, nacta copia me circumvolvendi, ego quoque me erexi. Dein, ut ipse se iterum levabat, ego me simul cum eo levavi, recto meo crure summa qua par eram vi distento, ita ut quum ambo caderemus, ipse in labrum nauculæ sic incidit, ut caput eius supra aquam penderet. Casus is fuit vehemens, cum pondere meo illi addito, et ambo maxima vi labro nauculæ impulsi, quantum ego pro viribus meis impellere poteram, quum subito animadverti totum corpus Kneebone esse lentum.

Naucula per totum id tempus adversum littus tendebat. Clivi iam in pleno conspectu erant dum ego cum Ioanne Kneebone in complexu eram, quos etiamsi vidissem, nihil me attinere rebar. Omnes meæ facultates in ea lucta erant defixæ. Tamen non multo postea quam Ioannes ceciderat, et prius quam ego sensus meos colliger potueram, factum est ut naucula rupibus violenter illideretur, dum ego usque vertigi-

nosus, meique impos, excessi, viamque mihi in loco elatiori, ab aspergine tuto quæsivi, ubi consedi ut conquiescerem, animumque disiectum recolligerem.

Aliquanto illic quam in aqua, calidius erat, verumtamen non prorsus calidum, ego vero e longo certamine usque æstuans sudore manabam, unde mox sensi me aliquá latebrá indigere, quamobrem inter rupes altius repsi, ubi denique subter tegmen eminentis rupis suffugium reperi. Naucula, quantum ego cernere poteram, inter rupes in unum latus inclinata et aquæ plena esse videbatur. Utrum Kneebone lapsu occisus fuerit, an vero intermortuus sit, nescio; quoniam tamen naucula deversa stabat, caput eius infra superficiem aquæ tenebatur, dextrá suá subter se, læva autem cum aqua sursum deorsumque iactabatur, ut undæ super cadaver suum prorsum retrorsumque volvebantur. Utrum naucula reparari posset necne, dicere nequeo, consilium enim eo ad disquirendum regrediendi, mihi repugnabat.

Locus, ubi sedebam, erat omnino tranquillus. Ex campis supra me cantilenas avium mihi exaudire licebat, subinde et odores terrestres ad me vergentes percepi, quamquam flabra usque ex Ortu ferebantur. Interea exoptabam ut Peters compareret, ipse tamen non venit; proinde post horæ quietem surrexi, meque viæ adversum Sancti Ioannis pedibus commisi, quo quum perveni, eadem vespera Adiutori Ducali

de rebus meis gestis retuli. Postridie Hattie Rebeccam in portu reperi, ac post biduum, postmeridiem, vela ad Pulvinos reversuri vento dedimus.

Fateor me Sancti Ioannis spe frustratum reliquisse. Vilhelmulus Peters haud erravit quum asseruit nos nimis prope accessisse ad revelandum aliquid permagni, quam ut id infectum deseramus — et tamen id uterque nostrum deseruit. Unum tamen inde solatium retulimus, nempe quod pares nos præstitimus viam Gubernio ostendere, quo præsertim modo certamen contra mergulas gerendum esset. Ad Gubernium potius quam ad me et Peters attinebat singularia eius generis certaminis cognoscere, viamque ad id prosequendum reperire; nihilo tamen secius ingenue fateor quod quum paullo ante quam a Sancti Ioannis solvissemus, et quidam officialis Gubernii in stegam nostram venisset, Navarchum Carter admonitum, novam aream prohibitam adversum Austrum a Sancti Ioannis esse decretam, et ego et Peters dimidio tantum eramus cognitione contenti, quum laborem nostrum fructum ferre, nobis tamen non indigeri, intellexissemus.

"Ni fallor," inquit Peters, "aliquod genus tendiculæ modo illic collocatum habent. Quidnam tibi id videtur?"

Nos, ut iam monui, portum Sancti Ioannis postmeridiem reliquimus longe procurrentes in alto, ante-

quam cursum in Meridiem vertissemus. Rupes in pleno conspectu erant, ut se adversum solem occumbentem erigebant, dum ego et Peters prope ad cancellos stabamus oculos in oris circumferentes, quas paullo ante præternavigavimus. Pagos domosque singulas commode discernere valebamus. Novimus distincte ubi dromo Albis relictus erat, quum Peters subito exclamavit:

"At illud certe non est Turbo — videsne illam aquæ columnam? Turbo ulterius ad Aquilonem est!"

Ad intendendum animum in aquæ columnam suasione opus non erat. Nemo prorsus in navi erat quin eam vidisset, et existimo etiam quemque post punctum temporis rem intellexisse, quoniam omnes stabant silentes. Non dubito fateri quin mihi observanti sanguis in venis celerius pulsaret, et alios quoque haud aliter sensisse, cuius rei gratia Navarchus Carter sustulit capedulum, quem cæteri omnes imitati sunt.

Aquæ columna lumine occumbentis solis collustrata scintillans et fulgida in sublime erigebatur, ac mox concidit. Sursumvolans aqua sub tali angulo lumini incidit, ut eo illustrata flammam concepisse videretur, ac medulla columnæ silani flagrare momento temporis, et quum eadem concidisset, ipse sol simul extinctus esse parebat, quod et horizon in umbram vespertinam propere involvebatur.

Nec quidquam plus de suppetiario mergularum scio. Diu optavi scire quid de Navarcho Carey factum esset, item quo captivi Albis devenissent. Profligato bello fortasse sciemus. Interea hoc unum certum est — operationes mergularum in aquis Americanis tam subito cessasse, quam incepissent. Hactenus denûm mensium securitas viguit, atque si tumultus recrudescat, novo gaudemus fœderis socio, quo firmati ei occurramus.

FINIS.

